De optativi apud Plutarchum usu

Dissertatio inauguralis philologica

quam scripsit

ad summos in philosophia honores
in Universitate Friderica Guilelma Silesiaca

rite impetrandos

Alfredus Hein

Silesius

Trebnitziae

Typis Maretzke et Maertin

MCMXIV

De dissertatione probanda ad ordinem rettulit

Ricardus Foerster.

Examen rigorosum habitum est die XXI mensis Ianuarii anni MCMXIV.

Matri carissimae

et

Ricardo Foerstero

sacrum

Argumentum.

Conspectus librorum.

A.

Brugmann-Thumb[4], „Griech. Gramm." (I. v. Müller's Handb. II 1; 1913).

Buttmann[2], „Ausführl. griech. Sprachlehre" (1830/39 Berlin).

Christ-Schmid[5], „Gesch. d. griech. Litt." (I. v. Müll. Handb. VII) II 1 (1911).

Delbrück, „D. Gebrauch d. Konj. u. Opt. im Sanskr. u. Griech." (Syntakt. Forsch. I Halle 1871).

Dieterich, „Untersuch. z. Gesch. d. griech. Sprache v. d. hellenist. Zeit bis z. 10. Jahrh. n. Chr." (Byzant. Archiv Heft 1; Leipzig 1898).

Gercke, „Griech. Literatur".

„Die Altertumswissenschaft im letzten Vierteljahrhundert". Burs. Jahresber. 124 [Suppl.-Bd.] 1905.

Hatzidakis, „Einl. in d. neugriech. Gramm." (1892 Leipzig).

Jannaris, an historical Greek grammar 1897 London.

Kühner, „Ausführl. Gramm. d. griech. Sprache".

I[3] (= Kühner-Blass): Elementar- und Formenlehre (1890—92 Hannover).

II[3] (= Kühner-Gerth): Syntax (1897—1904).

La Roche, „Beiträge z. griech. Gramm.", 1893 Leipzig.

Methner, „Die Grundbedeutungen und Gebrauchstypen d. Modi im Griech." 1908 Bromberg.

Meyer[3], Griech. Grammatik, 1886 Leipzig.

Mutzbauer, D. Grundbedeutung d. Konj. u. Opt. und ihre Entwicklung im Griech." (1908 Leipzig).

W. Schmid, D. Atticismus in seinen Hauptvertretern von Dionys v. Halik. bis auf den zweiten Philostratus, Stuttgart 1887 sq.

Thumb, Die griech. Sprache im Zeitalter des Hellenismus (1901 Strassburg).

Vandaele, l'optatif Grec, 1897 Paris.
Veitch[3], Greek verbs irregular and defective, Oxford.
Witkowski, „Bericht über d. Litt. zur Koine aus d. Jahren 1903—1906". (Burs. Jahresb. 159 [1912]).

B.

I.

Abernetty, ‚de Plutarchi qui fertur de superstitione' libello, 1911 Regimont.
Doehner, quaestiones Plutarcheae, II 1840, III 1862.
Focke, quaestiones Plutarcheae de vitarum par. textus historia, 1911 Monast.
J. J. Hartman, ad Plutarchi moralia annot. crit. Mnemos. 40 (1912); 41 (1913); 42 (1914).
Hirzel, „D. Dialog", 1895 Leipzig, 2 voll. — „Plutarch", („D. Erbe d. Alten" IV), 1912 Leipzig.
Krauss, D. rhetor. Schriften Plutarchs und ihre Stellung im Plut. Schriftencorpus, 1912 München.
Kolfhaus, Plutarchi de commun. notit. librum genuinum esse demonstratur, 1907 Marburg.
Patzig, quaestiones Plutarcheae, 1876 Berolin.
Seidel, vestigia diatribae qualia reperiuntur in aliquot Plutarchi scriptis mor., 1906 Vratisl.
Stegmann, „D. Gebrauch d. Negationen b. Plut.", 1883 Geestemünde. — „Krit. Beitr. z. d. Moralia d. Plut.", 1886 Leipzig.
Volkmann, „Leben, Schriften und Philosophie des Plutarch von Chaeronea", 1869 Berlin.
Weissenberger, „Die Sprache Plutarchs von Chaeronea und die pseudo-plut. Schriften", 1895 Würzburg.

II.

Amelung, de Polybii enuntiatis finalibus, 1901 Hal. Sax.
Blass[2], „Grammat. d. Neutestamentl. Griech.", 1902 Göttingen.
Benseler, de hiatu in oratoribus Atticis . . ., 1841 Friberg.
Crönert, memoria Graeca Herculanensis, 1903 Lips.
Dahl, Demetrius *περὶ ἑρμηνείας* I, 1894 Zweibrücken.
Diel, de enuntiatis finalibus apud Graecorum rerum scriptores posterioris aetatis, 1894 Monach.
Du Mesnil, grammatica quam Lucianus in scriptis suis secutus est, ratio cum antiquorum Atticorum ratione comparatur, 1867 Stolp.
Fassbaender, de optativo futuri, 1884 Lips.
Fuhr, „Exkurse z. d. att. Rednern". Rhein. Mus. 33 (1878) p. 578 sq.
Geyr, „Die Absichtssätze bei Dio Chrysostomus", 1897 Wesel.
Glatzel, de optativi apud Philodemum, Strabonem, Ps.-Longinum usu, 1913 Vratisl.
Harsing, de optativi in chartis Aegyptiis usu, 1910 Bonn.
Hartmann, Untersuch. über den Gebrauch der Modi in den Historien des Procop aus Caesarea, 1903 Regensburg.

Heller, „Die Absichtssätze bei Lucian". Erster Teil. ἵνα ὡς ὅπως (symbolae Joachim. 1880 Berlin).
Jaekel, de optativi apud Dionem Chrysostomum et Philostratos usu, 1913 Vratisl.
Jessen, de elocutione Philonis Alexandr. (Grat.-Schrift für Herm. Sauppe, 1889 Hamburg).
Kaelker, quaestiones de elocutione Polybiana (Leipziger Studien III [1880] p. 219—302).
Kapff, D. Optativgebrauch bei Diodorus Siculus, 1903 Tübingen.
Klemens, de futuri optativo, 1855 Vratisl.
Lautensach, „Verbalflexion d. att. Inschr.", 1887 Gotha. — „Gramm. Studien z. d. griech. Tragikern . .", 1899 Hannover.
Maidhof, Z. Begriffsbestimmung d. Koine, bes. auf Grund d. Attizisten Moiris (Festgabe f. M. v. Schanz, 1912 Würzburg).
Mayser, „Gramm. d. griech. Papyri aus der Ptolemäerzeit", 1906 Leipzig.
Mann, Über den Sprachgebrauch d. Xenophon Ephesius, 1896 Kaiserslautern.
Meisterhans-Schwyzer[3], „Gramm. d. att. Inschr.", 1900 Berlin.
Melcher, de sermone Epicteteo quibus rebus ab Attica regula discedat (diss. phil. Hal. XVII [1907] p. 1—113).
Moulton, „Einl. in d. Sprache des Neuen Testam.", 1907 Heidelberg.
Nachmanson, „Laute u. Formen d. magnet. Inschr.", 1903 Uppsala.
Pohl, de enuntiationibus optativis Graecorum I, 1875 Vratisl.
Reik, „D. Optativgebrauch bei Polybius u. Philo v. Alexandria", 1906 Leipzig.
Reinhold, de graecitate patrum apostolicorum librorumque apocryphorum N. Testamenti quaest. gramm. (Diss. phil. Hal. XIV [1898] p. 1—114).
Scham, „D Optativgebrauch b. Clemens v. Alexandr. in s. sprach- u. stilgeschichtl. Bedeutung" (Forsch. z. christl. Lit.- u. Dogmengesch. XI 4), 1913 Paderborn.
W. Schmidt, de Flavii Iosephi elocutione observ. crit. (Jahrb. f. klass. Phil. Suppl.-Bd. 20, 1894).
Schroefel, de optativi apud Dionysium Halicarnaseum usu, 1909 Vratisl.
Schwyzer, „Gramm. d. Pergamen. Inschr.", 1898 Berlin.
Sexauer, „D. Sprachgebrauch d. Romanschriftstellers Achilles Tatius, 1899 Karlsruhe.
Stich, de Polybii dicendi genere (acta sem. phil. Erlang. II [1881] p. 141—211).
Thouvenin, „Untersuch. üb. d. Modusgebrauch b. Aelian". Phil. N. F. VIII (1895) p. 599—619.
Tröger, „D. Sprachgebrauch in der pseudolongin. Schrift περὶ ὕψους u. deren Stellung z. Atticismus" I Erlangen 1899.
Unna, „Über d. Gebrauch d. Absichtssätze bei Philo v. Alexandrien", 1895 Würzburg.
Weber, „Entwicklungsgesch. d. Absichtssätze" (Schanz, Beitr. z. hist. Synt. d. griech. Sprache, Heft 4/5, Würzburg 1884/85).
Winer[7]), „Gramm. d. neutestamentl. Sprachidioms", 1867 Leipzig.
I[8] (= Winer-Schmiedel) 1894 Leipzig.

Si quem cursum lingua Graeca a temporibus antiquissimis usque ad scriptores aetatis recentioris petiverit quaerimus, imprimis modorum cum omnium tum coniunctivi et optativi apud singulos scriptores usum respiciamus oportet, cum hi ipsi modi apti esse videantur, quibus continuus linguae Graecae progressus et universae consuetudinis sermonis commutatio illustretur [1]).

Maxime autem varius optativi usus fuit [2]), id quod exemplis nonnullis confirmare mihi liceat. Atque apud Homerum quidem usus huius modi tam creber tamque excultus est, ut omnia fere optativi genera, quibus posteri utuntur scriptores, apud hunc observemus, etsi Homerum in singulis optativi generibus usurpandis maiori licentiae quam insequentes scriptores indulsisse negandum non est. Post quem aetate classica quae vocatur usus optativi tam late patet, ut frequentia cum imperativum tum coniunctivum superet — apud Homerum ratio inter coniunctivum et optativum plane contraria est [3]) —, cuius rei exemplum luculentissimum libri Xenophontis sunt, in quibus numerus optativorum altero fere-tanto maior est quam coniunctivorum [4]). Inveniuntur autem apud Xenophontem per centenas paginas 330 fere optativi, quem numerum nemo unquam scriptor aut post aut ante eum adaequavit, ne Plato quidem, cuius in libris optativus 250ies fere per centenas paginas re-

---

[1]) Cf. commentationes quas scripsit Schlachter, „Statist. Untersuchungen über den Gebrauch d. Tempora und Modi bei einzelnen griechischen Schriftstellern"; Indog. Forsch. XXII (1907) p. 202—242. XXIII (1908) p. 165—204, XXIV (1909) p. 189—221.

[2]) Syntaxin optativi ab Homeri temporibus usque ad Plutarchum et Lucianum diligenter persecutus est H. Vandaele, l'optatif Grec (1897 Paris).

[3]) Schlachter, Indog. Forsch. XXII (1907) p. 216.

[4]) Schlachter l. l.

peritur. Saeculo autem tertio et secundo optativi usus valde reprimitur[1], id quod e titulorum et papyrorum sermone vel maxime intellegitur, etsi in his facultatem eius usurpandi rarius datam esse apparet. Quod idem cognoscismus, si scriptores dialecti *κοινῆς* qui dicuntur perlustramus velut principem eorum Polybium, qui optativo 28,5[ies] per centenas paginas utitur, vel Diodorum, apud quem non amplius 13 optativi per centenas paginas inveniuntur[2]. Plurimum igitur a classicis scriptoribus distant. Cuius rei aliud exemplum Novi Testamenti libri sunt, quos primo et secundo p. Chr. n. saeculo conscriptos quorumque sermonem nequaquam singulare quoddam genus graecitatis esse, sed cum lingua vulgari hellenistica plane congruere constat, quamvis magnae in singulorum elocutione libellorum differentiae sint. Quas in optativi quoque usu observari posse mentione dignum est, cum quo quis scriptor litteris eruditior est, eo magis, ut integritatem atque elegantiam orationis assequatur cum aliis artificiis tum optativo usurpando, operam dare soleat. Quae cum ita sint, optativus haud ita raro in libris quibusdam invenitur, saepissime optativus optantis, quo Paulus 29[ies] utitur; potentialis autem non plus tribus locis (in 'Actis Apostolorum') positus est, similiter atque obliquus, qui nisi in Lucae evangelio et 'Actis Apostolorum' non reperitur (aliquoties in interrogationibus indirectis, semel in enuntiato temporali e praeterito pendente)[3]. Sed apud Matthaeum Marcum Ioannem ne unus quidem optativus exstat, cum locum eius non modo indicativus et coniunctivus, sed etiam imperativus occupaverint[4]; nec multum aberat quin tum in lingua vulgari prorsus emoreretur.

Longe aliter in eruditorum sermone scriptorum eiusdem aetatis usus optativi se habet, id quod atticistae qui dicuntur effecerunt, qui elocutionem ad classicorum exemplum confor-

---

[1]) Harmon, 'the optative mood in Hellenistic Greek' (Journal of the Society of Biblical Literat. 1886 Boston).

[2]) De Polybio cf. K. Reik, „Der Optativgebrauch bei Polybius und Philo von Alexandria" (1906 Leipzig). De Diodoro cf. R. Kapff, „Der Gebrauch des Optativs bei Diodorus Siculus" (1903 Tübingen).

[3]) Blass[2], „Gramm. d. Neutestamentl. Griech." (1902 Göttingen) p. 224/225.

[4]) Schlachter, Indog. Forsch. XXII p. 216.

mandam esse docentes multis formis et constructionibus obsoletis, quae classicae habebantur, in usum revocandis operam dabant, cum aliis ut duali, qui e sermone vulgari prorsus evanuerat[1]), tum optativo, cuius usu orationem Attico quodam colore afficere studebant. Quorum atticistarum primi sunt Caecilius Calactinus et Dionysius Halicarnaseus[2]); ante quos eandem optativi renovandi rationem ingressum esse Philodemum Gadarensem, Ciceronis aequalem, nuper didicimus[3]). Inveniuntur enim inter centenas paginas

apud Philodemum	45	fere optativi
apud Dionysium	58,8	„ „ ,

ita ut utrumque etsi veteres minime assequitur, tamen vestigiis eorum insistere facile intellegas. Quae doctrina quantopere et quanta celeritate increbuerit, vel inde cognoscitur, quod et Strabo et Ps.-Longinus (in libello *περὶ ὕψους* inscripto) et Philo Alexandrinus — quod quidem ad optativi usum attinet — atticistarum auctoritatem sequuntur[4]). Numerus enim optativorum est per centenas pag.

apud Strabonem (in Geograph.)	47,3	opt.
Ps.-Longinum	87	„
Philonem	46	„ .

Posteris temporibus optativi usus latius patet; ut exemplum afferam, in Dionis Chrysostomi orationibus per centenas paginas (Teubn.) 142,6 optativi sunt[5]), quae ratio aliquanto maior est ea quam apud ceteros posterioris aetatis scriptores supra allatos statuimus. Quamquam Dionem in amplissimorum atticistarum numero esse inter omnes constat; sed ne ii quidem scriptores, qui hanc doctrinam non profitentur, quin secundum illorum genus dicendi se conforment, facere possunt. Cuius rei exem-

[1]) H. Schmidt, de duali Graecorum et emoriente et reviviscente (1893 Vratisl.) p. 50.

[2]) E. Schroefel, de optativi apud Dionysium Halicarnaseum usu (1909 Vratisl.).

[3]) A. Glatzel, de optativi apud Philodemum, Strabonem, Pseudo-Longinum usu (1913 Vratisl.).

[4]) Glatzel, p. 38/39, 96.

[5]) B. Jaekel, de optativi apud Dionem Chrysostomum et Philostratos usu (1913 Vratisl.) p. 1.

plum praeclarum Galenus est, qui etsi legum atticistarum rationem se habere negat [1]), tamen colorem Atticum aperte prae se fert [2]). Quocum plane congruit quod Plutarchus quamquam praecepta atticismi sequi non vult eosque vituperat atque irridet [3]), qui studio elocutionis classicorum imitandae impulsi modum transeunt, tamen lingua vulgari postposita sermonem suum Atticorum imitatione excoluit atque ornavit; id quod optativi quoque usu comprobari infra videbimus.

Ne postea quidem optativum ab atticistis neglegi ex Arriani, Aristidis [4]), Aeliani [5]) scriptis facile intelleges; maxime autem usus eius a Philostratis auctus est, velut a Philostrato secundo (III. p. Chr. n. saec. ineunte), cuius in 'vita Apollonii' per centenas paginas non minus 212,8 optativi inveniuntur [6]); itaque quin Platonem hac in re adaequet, non multum abest. Minor est numerus in 'vitis sophistarum', quas eidem Philostrato tribuendas esse viri docti consentiunt; conspicimus hanc rationem in 'vit. soph.' num. pag.: num. opt. = 100 : 105.

Similis optativi usus in 'Imaginibus' est, quas Philostratum tertium sive Lemnium composuisse verisimile est [7]). Maiorem numerum optativorum idem scriptor in 'Heroico' exhibet; quo in libro per centenas paginas 156 optativi statuti sunt [8]).

Melius autem, quantopere tum viguerit atticismus, inde apparet, quod etiam scriptores Christiani eiusdem aetatis, ut oratione non modo hominum plebeiorum et humanitatis expertium, sed etiam eruditorum animos sibi concilient, praecepta atticismi sequuntur et orationem rhetorice ornare student. Ita-

---

[1]) Cf. Galen, de ord. libr. suor. XIX 60 (ed. Kühn 1830) = scripta min. II 89, 18 sq. (ed. I. Müller 1891). W. Herbst, Galeni Pergameni de Atticissantium studiis testimonia (1910 Marp.) p. 11/12. Thumb, „Die griech. Sprache im Zeitalter des Hellenismus“ (1901 Strassburg) p. 252 adn. 3.

[2]) W. Schmid, „Der Atticismus in seinen Hauptvertretern . . .“ (1887 Stuttgart) I p. 3 adn. 7.

[3]) Cf. Plut. Nic. 1, Mor. 42 D, 42 E, 351 A. Norden [2], „Die antike Kunstprosa“ (1909 Leipzig) I 393.

[4]) Schmid, Att. II 58/59.

[5]) Schmid, Att. III 82/83.

[6]) Jaekel, p. 43.

[7]) Cf. Münscher, Philol. Suppl.-Bd. X (1907) p. 469—558.

[8]) Jaekel p. 80.

que optativum quoque apud eos in maiore usu esse quam apud Novi Testamenti scriptores, qui cum illis comparati litteris leviter imbuti videntur, mirum non est; id quod quaestione ad optativi apud Clementem Alexandrinum, ut exemplum illustre afferam, usum pertinente nuper expositum est[1]). Hic enim scriptor (II. p. Chr. n. saec. exeunte) cum alia orationis artificia tum optativum usurpavit, ut verborum magniloquentiam quandam efficeret, quam ob rem potentiali longe saepissime usus est[2]); ratio autem inter optativorum et paginarum numerum est apud Clementem[3]) 64, 7 : 100, ita ut frequentia optativi pro rata parte constituta atticistas prioris saltem aetatis, velut Dionysium Halicarnaseum, superaverit.

Ut apud hos, ita apud posteros scriptores optativus in usu est, ut Atticorum elegantiam assequantur, velut apud Libanium (saec. IV) et Choricium (saec. V); in Procopii quoque Caesareensis (s. VI) libris saepe — etsi non semper secundum Atticorum consuetudinem — invenitur[4]). Plane contrarium autem optativi in lingua vulgari usum esse supra dixi, neque dubium est quin iisdem temporibus, quibus ab atticistis plurimi habetur, in sermone cotidiano prorsus fere extinctus et obsoletus sit, ita ut scholiastae in scriptorum veterum paraphrasibus pro optativo potentiali indicativum futuri[5]) et pro iterativo indicativum temporis praeteriti substituant[6]). Imprimis autem coniunctivi usus in lingua vulgari tam pervagatus est, ut non modo optativus, sed etiam imperativi tertia persona et futurum paulatim emoriantur[7]). Quamquam dum atticistarum studia vigent, optativi usus non plane evanescit, ne apud eos quidem scriptores, qui orationem ad cotidiani sermonis genus accom-

[1]) J. Scham, „Der Optativgebrauch bei Clemens v. Alexandrien in s. sprach- und stilgeschichtl. Bedeutung" (1913 Paderborn).

[2]) Scham, § 11: „Der Optativ bei Klemens als stilist. Kunstmittel".

[3]) Scham p. 12.

[4]) F. J. Hartmann, „Untersuch. über den Gebrauch d. Modi in d. Historien d. Prokop aus Caesarea (Progr. Regensburg 1903) p. 12—30.

[5]) Cf. e. gr. schol. ad Soph. El. v. 226/227.

[6]) Schmid, Att. III 83 adn. 2.

[7]) Hatzidakis, „Einleitung in die neugriech. Gramm." (1892 Leipzig) p. 218. Jannaris, an historical Greek grammar (1897 London) append. IV, V 13 sq. Thumb p. 153.

modant; temporum autem decursu, cum litterae et bonae artes e Graecia expellerentur, scriptores hoc orationis ornamento uti desierunt, quo effectum est, ut in Graeca nostrae aetatis lingua ne ulla quidem vestigia optativi reperiantur[1].

Restat ut quaeramus, quibus de causis optativus in lingua Graeca emortuus sit. Quarum maxima haec mihi videtur esse quod omnes linguae tempore progrediente ea, quae non sunt necessaria, depellere student. Itaque optativus, cum alii modi ut indicativus et coniunctivus in locum eius substitui possent, pedetemptim e linguis evanuit, primum e lingua Germanica[2]) et Latina[3]), multo post, ut supra demonstrare conatus sum, etiam e lingua Graeca. Aliam causam optativi in sermone Graeco emortui Allinsonus[4]) protulit; itacismo enim quem vocant hoc effectum esse putat, cum nonnullae formae et coniunctivi et optativi iam aetate hellenistica plane eodem modo pronuntiarentur, velut

λέγῃς λέγῃ — λέγοις λέγοι
λίπῃς λίπῃ — λίποις λίποι
λελοίπῃς λελοίπῃ — λελοίποις λελοίποι sim.

Cum autem iam illis temporibus optativi usus magnopere esset circumcisus, coniunctivus late pateret, facile fieri potuisse, ut optativi formae coniunctivo cederent. Quae pronuntiandi commutatio nescio an ullius ad optativi interitum momenti non fuerit; gravissimam enim causam fuisse studium res grammaticas ad normas quasdam quam simplicissimas redigendi supra dictum est et vel inde patet, quod optativi usus multo ante hanc confusionem e lingua Graeca evanescere coepit[5]).

---

[1]) Jannaris l. l. app. V 6 sq. Brugmann-Thumb[4], Griech. Gramm. (1913 München) § 571.

[2]) De optativi in lingua Gotica et Litavica usu cf. Brugmann-Delbrück, „Grundriss der vergleich. Gramm. der indog. Sprachen" IV (1897 Strassburg) p. 390/391, 395/396.

[3]) In lingua Latina optativus et coniunctivus inter se confusi sunt; inveniuntur autem nonnullae optativi reliquiae velut 'sim edim faxim' cf. Brugmann-Delbrück IV 375.

[4]) Allinson, 'on causes contributory to the loss of the optative . . . in later Greek' (Studies in honor of B. L. Gildersleeve [1902 Baltimore] p. 353—356).

[5]) Cf. St. Witkowski, Burs. Jahresber. 159 (1912) p. 245; Brugmann-Thumb[4] Gr. Gramm. p. 586.

Quibus expositis rem nostram, optativi apud Plutarchum usum, iam aggrediamur ita, ut primum de optativi formis grammaticis, deinde de optativi syntaxi disseramus. Antea autem brevissime de codicibus manuscriptis et editionibus Plutarcheis dicere mihi liceat; ac primum quidem de vitarum codicibus exceptis Galbae et Othonis vitis, quas inter scripta moralia traditas esse constat.

Codicum igitur, qui vitas complectuntur, principem in textu constituendo locum obtinebant antea codex Sangermanensis 319 (= S^g [Ziegler[1]] vel G [Lindskog[2]]; s. X) et Parisini 1671—76, quos Reiskius et Sintenis[3]) fundamenta editionum habuerunt. Nuper autem duo maioris pretii codices inventi sunt, codex Seitenstettensis (= S; saec. XI) a Rudolfo Hercher[4]) et codex Matritensis N 55 (= N; saec. XIV) a Carolo Graux[5]). Dolendum autem est in Seitenstettensi, qui cum Parisino 1676 (= F^a [Ziegler]; s. XV) artiore necessitudine coniunctus videtur esse, non plus quindecim vitarum textum — Numae Solonis Publicolae Aristidis Catonis Themistoclis Camilli Ciceronis Luculli Periclis integrum, Fabii Maximi Niciae Crassi Agesilai Pompei mutilatum — esse traditum, Matritensem autem in duas manifesto partes discedere, quarum prior tantum (Niciae Crassi Alcibiadis Coriolani Demosthenis Ciceronis vitas continens) sinceritate lectionum excellit[6]).

---

[1]) K. Ziegler, „Die Überlieferungsgesch. der vergl. Lebensbeschreibungen Plutarchs“ (1907 Leipzig).

[2]) Cl. Lindskog, in praef. 'vit. parall. Ages. et Pomp.' (1906 Leipzig).

[3]) Primum in editione critica quae prodiit Lipsiae 1839—46.

[4]) R. Hercher, Plutarchi vitae: Aristid. et Cato maior (1870 Berlin); cf. etiam: C. Th. Michaelis, de Plutarchi codice manuscr. Seitenstettensi (1885 Berol.); W. Meyer, de cod. Plutarcheo Seitenstett. eiusque asseclis (1890 Lips.); K. Fuhr. „Z. Seitenstetter Plut.-Handschr.“ Berl. philol. Wochenschr. 1902 n. 46 sq.

[5]) Ch. Graux, de Plutarchi codice manuscr. Matritensi iniuria neglecto (rev. de phil. V [1881] p. 1—57). Cf. praeterea de Matritensi: A. Gudeman, the cod. Matrit. of Plutarch (Am. Journ. of Phil. XI [1890] p. 312—318); C. Th. Michaelis, de Plutarchi cod. manuscr. Matrit. (1893 Berol.); Laudien, Rhein. Mus. 67 (1912) p. 137/138; K. Ziegler, „Plutarchstudien I“ Rhein. Mus. 63 (1908) p. 244—253.; — „Plutarchstud. II“ Rhein. Mus. 68 (1913) p. 97 sq.

[6]) Fr. Focke, quaest. Plutarch. de vitarum parallelarum textus historia (1911 Münster) p. 12—36; K. Ziegler Rhein. Mus. 68, 97 sq.

Difficilius est codicum qui scripta moralia complectuntur fata et vicissitudines explorare[1]). Haec enim scripta plus ducentis quadraginta codicibus tradita sunt, sed ut hi omnes ad unum revocentur stemma — id quod Hahnius conatus est, qui archetypum omnium codicum IX. vel X. circiter saeculo ortum esse censet[2]) — fieri non potest. Quorum omnium codicum locupletissimus est Parisinus 1672 (= E; s. XIV. ineunte scriptus); continet enim praeter vitas omnia (78) Plutarchi scripta moralia. Est autem apographum illius Plutarcheorum corporis, quod saec. XIII. exeunte Maximus Planudes composuit non modo e scriptis singillatim traditis, sed etiam e vetustioribus moralium syllogis, quarum vestigia etiam nunc cognoscere possumus[3]). Eidem classi adnumerandi sunt[4]):

Parisinus 1671 (= A; exaratus a. 1296 et 69 scr. mor. continens)
Ambrosianus C 126 inf. (s. XIII/XIV)
Vaticanus 139 (s. XIII), e quo manaverunt
Laurentianus plut. 80 cod. 5 (s. XIV)
Parisinus 1680 (s. XIV)
Marcianus 248 (a. 1455 scriptus).

Praeterea autem plures sunt codices qui a recensione illa Planudis non pendeant, velut

Urbinas 97 (s. X)
Vindobonensis 148 (s. X/XI), e quo ceteri codices Symposiacorum Plutarchi manaverunt[5])
Athous Dochiar. 268 (s. XIV)
Ambrosianus 82 (s. XIII/XIV)

---

[1]) De Moralium codicibus cf.: M. Treu, „Zur Gesch. d. Überlief. v. Plut. Mor." I (Waldenburg 1877), II (Ohlau 1881), III (Breslau 1884). Bernardakis, in mor. vol. I. praef. p. XI sq.; — de Plut. Moral. codicibus . . .; — (Mnem. XXIV [1896] p. 377—396). V. Hahn, de Plut. mor. codicibus quaest. sel. (Abh. d. Akad. Krakau Bd. 26 phil. Abt. [1906] p. 43—128). H. Wegehaupt, „Beitr. z. Textgesch. d. Mor. Plut." Phil. 64 (1905) p 391—413; — Plutarchstud. in ital. Biblioth."' (1906 Cuxhaven); — „Die Entstehung d. corpus Plan. v. Plut. Mor." S.-Ber. d. Berl. Akad. 1909 II p. 1030—1046.

[2]) V. Hahn de Pl. mor. cod. quaest. sel. p. 89/90.

[3]) Wegehaupt, Phil. 64 (1905) p. 397 sq.; Pohlenz, Berl. Philol. Wochenschr. (1908) p. 97—100.

[4]) Wegehaupt, S.-Ber. Berl. Ak. 1909 II p. 1034.

[5]) V. Hahn l. l. p. 66/67.

Parisinus 1956 (= D; s. XI/XII), quem etsi Bernardakis plurimi aestimavit, tamen permultis locis interpolatum esse apparet, cum saepe iis locis, quibus reliquorum codicum lectiones difficiles intellectu videntur, textum satis perspicuum, sed a Plutarchi consuetudine scribendi abhorrentem praebeat [1]).

Denique commemorandi sunt codices qui dicuntur mixti, i. e. diversis e fontibus derivati, velut Parisinus 1675 (= B; s. XV) [2]).

Animadvertendum autem est hos codices minime semper eiusdem ad omnes libellos momenti esse; itaque in uniuscuiusque libelli contextu eruendo, qualis sit ratio inter singulos codices, qui duces eligendi, qui neglegendi sint, quaeramus necesse est [3]) et recte Treuius intellexit futuro moralium editori imprimis, qua affinitate singuli codices inter se coniuncti sint, explorandum et non solum eorum codicum, qui complura vel plurima scripta in unum corpus redegerunt, sed etiam eorum, qui paucos vel unum tantum libellum tradunt, rationem habendam esse. Quomodo autem haec res tractanda sit, exemplum praeclarum quaestiones sunt, quas scripserunt Demoulin [4]), Behr [5]), Abernetty [6]), praeterea nonnullae singulorum moralium editiones, quae nuper prodierunt (cf. p. 10).

Reliquum est ut editiones Plutarcheas, quibus usus sum, brevi conspectu proponam.

In locis afferendis secutus sum has editiones:

Plutarchi vitae parallelae. Iterum recognovit Carolus Sintenis (1906 Lips.) 5 voll.

---

[1]) Cf. W. Abernetty, de Plutarchi qui fertur de superstitione libello (1911 Regimonti) p. 67 sq.

[2]) Ab eadem stirpe ac Paris. 1675 venit cod. Rehdigeranus 2, qui in bibl. urbica Vratislav. est et 12 scripta mor. continet; liber exigui pretii (cf. Wegehaupt Phil. 64 p. 404 adn. 41).

[3]) Pohlenz, Berl. Philol. Wochensch. 1905 p. 757.

[4]) H. Demoulin, la tradition manuscrite du banquet des sept sages de Plutarque (Musée Belge VIII [1904]).

[5]) G. Behr, „Die handschr. Grundlage der im Corpus d. Plut. Mor. überlief. Schrift *περὶ παίδων ἀγωγῆς*“ (1911 Würzburg).

[6]) W. Abernetty p. 1 sq.

Plutarchi Chaeronensis moralia recognovit G. N. Bernardakis (1888—96 Lips.) 8 voll.
Praeterea usus sum editionibus
I. I. Reiskii (Lips. 1774—82)10 voll.
Parisina a Doehnero-Duebnero curata (1846) 5 voll.
vitarum a Schaefero curata (Lips. 1826—30) 6 voll.
vitarum ab I. Bekkero curata (Lips. 1855) 5 voll.
moralium a D. Wyttenbachio curata (Oxonii 1795—1800)
moralium a R. Herchero curata (vol. I; Lips. 1872).

Nec silentio praetereundae sunt editiones quaedam singulorum Plutarchi librorum, velut editiones, quas curaverunt
Schoemannus (Agis et Cleomenes; 1839 Gryphisw.)
Hercher (Arist. et Cat. Mai. 1870 Berol.)
Sintenis-Fuhrius (Themist. et Pericl. 1880 Berol. — Ag. et Cleom. Tib. et C. Gracch. 1882 Berol.)
Siefertus-Blassius-Kaiser (apud Teubnerum)
Carolus Graux (vie de Cicéron 1882 Paris; vie de Démosthène 1882 Paris.)
Alfr. Schoenius (vit. Sol. 1896/98 Kiliae)
Cl. Lindskog (Ag. et Pomp. 1906 Lips.)
K. Ziegler (Tib. et C. Gracch. 1911 Heidelb.).

Novam vitarum editionem Lindskog, Mewaldt, Ziegler propediem proferent.

In moralibus mihi praesto erant:
R. Volkmann, *περὶ μουσικῆς* 1856 Lips.
R. Westphal, Plutarch über die Musik 1865 Breslau
Weil-Reinach, Plutarque de la musique 1900 Paris
B. Müller, Plutarch über d. Seelenschöpfung im Timaeus 1873 Breslau
H. Diels, de placitis philosophorum (in 'Doxogr. Graec.' 1879 Berlin)
Paton, Pythici dialogi tres 1893 Berlin
— de cupiditate divitiarum 1896 London
Bernardakis, *Πλουτάρχου τὸ ἐν Δελφοῖς Ε* 1894 Lips.
U. v. Wilamowitz-Moellendorff, *περὶ δεισιδαιμονίας καὶ ἀθεότητος* (Griech. Lesebuch I 2 [1902 Berlin] p. 328—338)
Wegehaupt, *Πότερον ὕδωρ ἢ πῦρ χρησιμώτερον* (*Χάριτες* Festschr. f. F. Leo z. 60. Geburtst. 1911 Berlin; p. 158—169).

Etiam 'adnotationes criticas ad Plutarchi Moralia', quae I. I. Hartman in 'Mnemosyne' publici iuris facere nuper coepit [1]), ad quaestionem meam quantum potui adhibui.

Moralium quoque novam editionem proximis annis esse prodituram spes est.

Denique lexicon Plutarcheum a D. Wyttenbachio compositum (iterum ed. 1843 Lips.) adiumento mihi erat.

Aggrediamur nunc rem propositam!

Pars I.

Ac primum quidem de optativi formis disputabo.

In summa apud Plutarchum 1994 optativi inveniuntur, quorum 1105 in vitis parallelis, 889 in moralibus sunt; quem in numerum non recepi eas formas quae in libris subditis leguntur, i. e. in disputationibus his:

de lib. educ., consol. ad Apoll., apopthegm., parallela, de fato, amat. narrat., X orat. vitae, de plac. philos., epitome libri de procreat. an. in Tim., Stoicos absurd. poëtis dicere, de musica, de vita ac poësi Homeri.

Quas genuinas non esse omnes fere viri docti consentiunt [2]); itaque optativi in his libellis usum seorsim (in tertia huius disputationis parte) tractare et hoc loco nisi occasione data non respicere mihi liceat.

In genuinis libris numerum optativorum 1994 esse modo dixi; qui numerus primo quasi obtutu ingens videtur. Sed ut recte de optativi usu Plutarcheo iudicemus, numerum illum cum numero paginarum, in quibus iuveniuntur, comparari oportet. Omnia autem Plutarchi scripta, si paginarum numerum ad eum referimus, qui est in editione Sintenisiana, 3940 paginas com-

---

[1]) Mnemosyne 40 (1912) p. 237 sq.; 41 (1913) p. 64 sq., 209 sq., 333 sq., 341 sq.; 42 (1914) p. 1 sq., 119 sq.

[2]) Cf. R. Volkmann, „Leben, Schriften und Philosophie d. Plutarch v. Chaeronea“ (1869 Berlin); B. Weissenberger, „Die Sprache Plutarchs v. Chaer. und die pseudoplut. Schriften“ (1895 Würzburg).

plectuntur, quarum 2107 vitis, 1833 moralibus tribuendae sunt. Reperimus igitur per centenas paginas

vitarum 52, 4 optativos
moralium 48, 6 „

ita ut Plutarchum optativo per cent. pag. plus minusve 50 locis usum esse cognoscamus. Quam rationem si cum ea comparamus, quae apud scriptores classicos observata est, inter hos et Plutarchum plurimum interesse facile intellegitur. Contra scriptores hellenisticos ut Polybium (100 : 28, 5) et Diodorum (100 : 13) frequentia optativi tantopere superat, ut dubium non sit quin consulto optativi usum augere studuerit. Etiam cum iis, qui atticistarum praeceptis non nimis coërcentur, velut Philodemus Strabo Philo, si comparamus, optativi usum apud Plutarchum crevisse statuendum est; medium enim locum obtinet inter hos et Dionysium Halicarnaseum (100 : 58, 8), quem numero optativorum pro rata parte constituto paene assecutus est. Unde Plutarchum Dionysii auctoritatem sequi apparet, etsi non adeo ut posteros atticistas, qui in optativo usurpando Dionysium non modo adaequant, sed etiam aliquanto superant, ut Dio Chrysostomus Plutarchi aequalis, apud quem rationem paginarum ad optativorum numerum 100 : 142, 6 esse, vel Philostratus secundus, cuius in 'vita Apollonii' per cent. pag. 212, 8 optativos inveniri supra dictum est. Etiam Clementi Alexandrino Plutarchus frequentia optativi cedit, cum in illius libris haec ratio

num. pag. : num. opt. = 100 : 64, 7

conspiciatur.

Transeamus nunc ad singulas optativi formas inspiciendas; quas hoc loco omnes enumerare operae pretium non videtur esse, praesertim cum plurimae in secunda huius disputationis parte laudandae sint. Itaque uniuscuiusque temporis vel unam vel complures formas afferre liceat, quae aliquo modo mentione dignae et ad hanc pertinere mihi videntur quaestionem. Exempla e vitis parallelis petita afferentur ita ut numeris uncis ( ) inclusis volumen pagina versus editionis Sintenisianae indicentur; in exemplis quae in scriptis moralibus sunt proferendis numerum paginarum editionis Francofurtanae (1620) sequar,

ββ) sec. pers. sg. (2 form.):

εὐτυχοίης M. 260 B
εὐγνωμονοίης M. 576 F ·

γγ) tert. pers. sg. (51 form.):

in -οίη exeuntis (39 form.)

δοκοίη Thes. 9 (I 7, 29)
ἀπειλοίη M. 950 F

in -οῖ exeuntis (4 form.) [1])

κινοῖ Sol. 29 (I 186, 9)
σκοποῖ M. 511 D
ἐπιχειροῖ M. 587 C
ἐπαντλοῖ M. 688 E

in -έοι exeuntis (8 form.)

δέοι Sull. 37 (II 463, 27)
ἐκχέοι M. 512 F

δδ) tert. pers. plur. (14 form.):

ἀπαιτοῖεν Rom. 25 (I 65, 18)
διαπυροῖεν M. 160 B
διατελοῖεν M. 1105 B [2])

3. verborum in -ω desinentium (239 form.):

α) prim. pers. sg. (3 form.)

ἐθέλοιμι M. 169 F

β) sec. pers. sg. (8 form.)

φθάνοις Demosth. 29 (IV 236, 1)
λέγοις M. 482 B

γ) tert. pers. sing. (177 form.):

βασιλεύοι Ages. 3 (III 145, 7)
λέγοι Them. 12 (I 231, 21)
σημαίνοι Cat. min. 38 (IV 72, 15)
φέροι M. 620 C

---

[1]) Cf. de his formis p. 30 sq.
[2]) Codices: διατελεῖν, Duebner optativum restituit.

δ) primae pers. plur. (8 form.):

μέλλοιμεν M. 783 C

ε) sec. pers. plur. (2 form.):

ἀκούοιτε M. 935 D

ζ) tert. pers. plur. (41 form.):

δουλεύοιεν Mar. 2 (II 330, 22)
ὑπερβάλλοιεν M. 924 A

b) 9 optativi futuri:

1. tert. pers. sing.:

κατηγορήσοι Them. 25 (I 244, 4)
δειπνήσοι Luc. 41 (II 549, 12)
ἀπάξοι Luc. 5 (II 501, 28)
θρέψοι Lys. 6 (II 387, 24)
ἀντιλέξοι Pomp. 54 (III 246, 17)
φράσοι Cat. min. 70 (IV 103, 22)

2. tert. pers. plur.

καθήσοιεν Brut. 10 (V 60, 1)
πολεμήσοιεν M. 399 D
τυραννήσοιεν M. 403 C

c) 347 optativi aoristi primi; exempli causa profero has formas

1. primae pers. sg. (27 form.):

θαυμάσαιμι Cam. 22 (I 274, 16)
φήσαιμι M. 417 C

2. sec. pers. sg. (10 form.):

α) in *-ειας* exeuntis (8 form.):

ἐάσειας M. 67 D
φράσειας M. 744 A

β) in *-αις* exeuntis (2 form.):

θαυμάσαις M. 1062 B
ὑπομείναις M. 1098 B

3. tert. pers. sg. (290 form.)

α) in -ειε exeuntis (268 form.):

φήσειε Pomp. 67 (III 260, 2); M. 1092 A
περάσειε Alex. 62 (III 349, 9)
ἀπολαύσειε Timol. 15 (II 15, 17)
λήξειε M. 1082 C
διακρίνειε M. 48 E

β) in -αι exeuntis (22 form.):

ἀριθμῆσαι Pomp. 68 (III 260, 11)
δεῆσαι comp. Dem. et Cic. 2 (IV 290, 1)
δειπνῆσαι Arat. 26 (V 159, 24)
ἐκθλίψαι Flam. 20 (II 280, 7) [1]
μεταστρέψαι Demetr. 38 (IV 330, 1)
ἀπεικάσαι Demetr. 45 (IV 337, 22)
ὑπακοῦσαι Galb. 10 (V 194, 8)
φῆσαι M. 430 A; M. 469 E; M. 635 D; M. 789 C; M. 934 D; M. 1010 C; M. 1046 A; M. 1055 A
παραστῆσαι M. 1097 D
εἰκάσαι M. 732 E
κατασκευάσαι M. 779 B
ἀντιφράξαι M. 932 C [2]
ἐντεῖναι Luc. 14 (II 512, 4)
συνενέγκαι Ag. 20 (IV 125, 14)
οἰκτεῖραι comp. Dem. et Cic. 5 (IV 292, 15)

4. primae pers. plur. (3 form.):

ἐπινοήσαιμεν M. 476 C

5. sec. pers. plur. (2 form.):

ἀξιώσαιτε Cat. mai. 8 (II 202, 23)

6. tert. pers. plur. (15 form.):

δράσειαν Alc. 18 (I 392, 31)
ἐμπλήσειαν M. 524 E

---

[1]) Malim ἐκθλίψῃ; cf. infra.

[2]) Fortasse scribendum ἀντιφράξῃ; cf. p. 62.

d) 355 optativi aoristi secundi; haec affero exempla

1. verborum in -μι exeuntium (25 form.) et sim. (22 form.):

προσθείην Lyc. 28 (I 112, 18)
διαγνοίης M. 782 E
σταίη M. 924 C
δοίη Pyrrh. 14 (II 300, 14)
ἐκδῴη Mar. 10 (II 338, 4)[1]
ἁλῴη Ant. 48 (IV 391, 2)
προθείητε M. 346 F
δοῖεν M. 986 B
φθαῖεν Marc. 6 (II 126, 31)

2. verborum in -ω exeuntium (308 form.):

εἴποιμι M. 496 C
ἴδοις Sol. 7 (I 160, 26)
παράσχοι Rom. 16 (I 52, 31)
προσπέσοι Ant. 66 (IV 406, 14)[2]
λάβοιμεν M. 650 B
τύχοιεν Lyc. 24 (I 107, 32)
ἔλθοιεν Sull. 30 (II 456, 31)

e) 30 optativi perfecti activi; legitur enim

1) perfectum primum his 14 locis:

παρεστήκοι M. 998 E[3]
νενικήκοι Pyrrh. 18 (II 306, 11)[4]; Arat. 16 (V 149, 16)
ἠρήκοι Cam. 22 (I 274, 14)[5]
ἀνῃρήκοι Pomp. 5 (III 192, 8)
ἱστορήκοι M. 578 D

---

[1]) Codicum lectionem ἐκδῷ Coraes recte in ἐκδῴη correxit; Schaefer et Bekker ἐκδοίη scribunt, cf. autem p. 38 sq.

[2]) Codices προσπέσειε praebent, quod apud Plutarchum tolerandum non est. In editione Sintenisiana προσπέσοιε est, quae forma errore typographi videtur orta esse, cum προσπέσοι (sc. τὰ ἔμβολα) scribendum sit.

[3]) Codd.: παρεστήκει; Bernardakis corr.

[4]) Codd.: νενικήκει; Doehner corr.

[5]) In codicibus plusquamperfectum exstat.

ἀπονενοστήκοι M. 581 D
ἀνευρήκοι Rom. 14 (I 49, 17)
ἀπεκτονήκοι Tim. 16 (II 17, 22)[1]
ἐοίκοι Aem. Paul. 32 (II 72, 19)[1]
τεθνήκοι Cat. min. 55 (IV 89, 18)
ἐκκεκηρύχοι C. Gracch. 4 (IV 189, 29)
προσειρήκοι M. 683 D[1]
ἠρήκοιεν Caes. 2 (III 365, 7)

2. perfectum secundum his 16 locis:

εἰδείης M. 150 E
εἰδείη Lyc. 3 (I 81, 4); Aem. Paul. 5 (II 42, 20); Sull. 18 (II 442, 15); M. 163 D[2]); M. 802 C; M. 927 B; M. 1118 E
συνειδείη Alex. 55 (III 342, 12)
εἰδεῖεν Fab. Max. 20 (I 365, 1); Pomp. 78 (III 271, 17)
ἀπεκτόνοι Ant. 33 (IV 375, 27); Art. 14 (V 117, 29); Art. 14 (V 118, 11)
γεγόνοι Demosth. 4 (IV 211, 22)[1]; M. 412 C.

B. 502 optativi medii, quorum sunt

a) 176 optativi praesentis. Exempla afferantur haec

1. verborum in -μι exeuntium (16 form.):

δυναίμην Dio 43 (V 37, 25)
δύναιτο (14 ies): Num. 13 (I 135, 26)
δύναιντο M. 1048 F

2. verborum contractorum (38 form.):

α) in -άω exeuntium (11 form.):

χρῷτο (6 ies): Fab. Max. 4 (I 344, 28)
διαιτῷτο Luc. 8 (II 506, 2)
αἰτιῷτο M. 632 F; M. 670 D
πειρῴμεθα M. 662 D
χρῷντο Pyrrh. 23 (II 314, 2)

---

[1]) In codicibus plusquamperfectum legitur.
[2]) Codices εἴδεν ἤ praebent, quod Wyttenbachius in οἶδεν, Pflugkius melius in εἰδείη correxit.

β) in -έω exeuntium (27 form.):

ἡγοῖο M. 155 B
ἡγοῖτο Nic. 3 (III 4, 5)
δέοιτο (14 ies): Num. 9 (I 129, 24)
φοβοῖντο Ages. 3 (III 145, 5)
δέοιντο Cic. 12 (IV 249, 9)

3. verborum in -ω desinentium (122 form.):

αἰσχυνοίμην Phoc. 9 (IV 8, 18) = M. 822 E
βούλοιο (quater): Popl. 21 (I 211, 29)
βούλοιτο (42 ies): M. 39 C
οἴοιτο (7 ies): Demosth. 1 (IV 209, 9)
γίγνοιτο Aem. Paul. 3 (II 41, 2)
γίνοιτο Pel. 1 (II 83, 8); Cat. Mai. 19 (II 217, 3); Lys. 17 (II 400, 9)
συγγίνοιτο M. 708 D [1])
ἀλεξοίμεθα Lyc. 19 (I 102, 16)
κομίζοισθε Dio. 43 (V 37, 31)
βούλοιντο (6 ies): Per. 20 (I 321, 2)
φυλάττοιντο M. 280 F

b) 18 optativi futuri:

ἔσοιτο (12 ies): Popl. 13 (I 203, 5)
χρήσοιτο Sull. 6 (II 425, 1) [2])
ἀφίξοιτο Sert. 21 (III 110, 10); Caes. 14 (III 376, 27)
καταψεύσοιτο Them. 25 (I 244, 5)
ἐπιβήσοιτο Timol. 9 (II 9, 8)
ἀναλήψοιτο Ag. 4 (IV 111, 3)

c) 104 optativi aoristi primi; has commemoro formas:

χρησαίμην Alex. 6 (III 284, 19)
στεφανώσαιο M. 597 C
ἀγάσαιτο Fab. Max. 18 (I 362, 16) [3])

[1]) Bernardakis συγγίγνοιτο scribit, cf. autem p. 28.
[2]) Codd.: χρήσαιτο, quod Schaefer iure in χρήσοιτο correxit.
[3]) Codd.: ἠγάσατο; corr. Sintenis.

πaύσαιτο M. 511 D
ᾠσαίμεθα Marc. 25 (II 150, 12)
θεάσαισθε M. 804 B
δέξαιντο Arist. 10 (II 172, 30)

d) 203 optativi aoristi secundi; profero haec exempla

1. verborum in -μι desinentium (21 form.):

ἀποδοίμην Cat. mai. 5 (II 201, 3)
ὑφείμην M. 376 A[1]) προείμην M. 560 D
θείμην Phoc. 17 (IV 16, 7)
θεῖτο M. 82 E
προσθοῖτο Demosth. 30 (IV 236, 16)
πρόσθοιτο Pomp. 16 (III 203, 32)
ὑποθοῖτο M. 411 C[2])
ὑπόθοιτο M. 1070 D
κατάθοιτο Pomp. 54 (III 245, 21)
ὑποθοίμεθα M. 935 E
ἐπιθοῖντο Caes. 22 (III 386, 13)
ὑπεκθοῖντο M. 867 B
ἀπολοίμην (ter): M. 462 C
ἀπόλοιο M. 760 D
ἀπόλοιτο sim. (ter): Cic. 26 (IV 263, 16)
ἀπόλοιντο Pelop. 18 (II 101, 23)

2. verborum in -ω cadentium (182 form.):

πυθοίμην (6[ies]): M. 443 B
αἴσθοιο M. 67 C
γένοιτο (119[ies] additis compositis): Rom. 7 (I 40, 28)
αἴσθοιτο (10[ies]): Lyc. 15 (I 95, 31)
πυθοίμεθα M. 760 E
γένοιντο (8[ies] addit. comp.): Sol. 20 (I 175, 11)

e) unus optativus perfecti:

ἀφῃρῇτο C. Gracch. 4 (IV 189, 27)[3])

---

[1]) Codd.: ὑφιεμένην, quod ad contextum orationis non quadrat. Xylander ὑφιέμην — quam formam optativum esse voluit —, Bentleius ὑφείμην scripsit.

[2]) Non est quod cum Bernardaki ὑπόθοιτο scribamus, cf. infra.

[3]) Codd.: ἀφῄρητο; Sinten. corr. De forma ipsa cf. p. 48.

C. 189 optativi passivi, quorum sunt

a) 73 optativi praesentis; haec nomino exempla

1. verborum contractorum (16 form.):

τιμῷτο Cim. 10 (II 482, 17)
ἐρῷτο M. 61 A *ἀνιῷντο* M. 647 A
πολιορκοῖτο Cic. 38 (IV 276, 19)
νοοῖτο M. 924 C
φρουροῖντο Caes. 7 (III 370, 24)

2. verborum in -ω exeuntium (57 form.):

θαυμάζοιτο Ant. 80 (IV 418, 26)
φέροιτο M. 272 A
βλάπτοιντο M. 18 F

b) 2 optativi futuri

1. primi

ἀναδειχθήσοιτο Caes. 28 (III 392, 27)

2. secundi

βλαβήσοιτο Philop. 3 (II 235, 29)

c) 83 optativi aoristi primi; ex. gr. commemorentur hae formae

1. primae pers. sg. (3 form.):

δυνηθείην M. 463 D

2. tert. pers. sg. (64 form.):

δυνηθείη M. 40 E
φοβηθείη M. 425 E
ὀφθείη Sol. 27 (I 183, 8)

3. sec. pers. plur. (1 form.):

σωθείητε Phoc. 9 (II 8, 31)

4. tert. pers. plur. (15 form.):

ἀποτεθεῖεν Per. 32 (I 332, 20)
προαχθεῖεν M. 488 C

d) 31 optativi aoristi secundi; affero haec exempla

1. primae pers. sg. (1 form.):

φανείην M. 595 B

2. tert. pers. sg. (28 form.):

ῥαγείη Cat. min 38 (IV 72, 14)
ῥυείη Cic. 40 (IV 278, 19)
σφαλείη M. 711 B

3. tert. pers. plur. (2 form.):

διαφθαρεῖεν Sull. 20 (II 444, 14)
φανεῖεν M. 614 E.

Quoniam optativi formas, quae in Plutarchi scriptis inveniuntur, exemplis electis illustravi, sequitur ut ex hac tam ingenti materia ea quae alicuius momenti esse et ad Plutarchi sermonem cognoscendum conferre mihi videntur, delibemus et accuratius tractemus.

Ac primum quidem videamus, qualis usus temporum et generum optativi apud Plutarchum sit. Quam ad rem melius explicandam haec proferatur tabula:

Opt.	Act.	Med.	Pass.	summa
Praes.	562	176	73	811
Fut.	9	18	2	29
Aor. I	347	104	83	534
Aor. II	355	203	31	589
Perf. I	14	1 [1])	—	15
Perf. II	16	—	—	16
Sa.	1303	502	189	1994

Quae tabula omnia optativi tempora et genera verbi apud Plutarchum inveniri nos docet.

De singulorum temporum et generum usu haec dicenda sunt:

[1]) Hanc formam incertam esse moneo (cf. p. 48).

Numerum optativorum praesentis si cum numero optativorum aoristi comparamus, apud Plutarchum, quamquam his temporibus sine ulla differentia uti videtur, tamen haec ratio conspicitur:

opt. praes. : opt. aor. = 811 : 1123 = 1 : 1, 38.

Praesens autem aetate hellenistica — similiter atque imperfectum e Xenophontis temporibus[1]) — aoristo paulatim repulsum esse constat[2]); atticistae autem in usum revocant. Ut alia huius rei exempla proferam[3]), invenimus hanc rationem inter optativum praes. et aor.

apud	Polybium	1 : 2, 5
	Philonem	1 : 2, 3
	Dionysium Hal.	1 : 1, 77
	Diodorum	1 : 1, 75
	Ps.-Longinum	1 : 1, 54.

Qui omnes aoristum praesenti aperte praeferunt. Contraria est ratio

apud	Clementem Alex.	1 : 0, 87
	Dionem Chrys.	1 : 0, 82
	Philodemum	1 : 0, 78
	Philostratum II. (in 'vit. Apoll.' et 'vit. soph.')	1 : 0, 78
	Philostratum III. (in 'Her.' et 'Imag.')	1 : 0, 67
	Strabonem	1 : 0, 64.

Quibuscum si Plutarchum comparamus, in optativi temporum usu vestigia classicorum eum magis secutum esse apparet quam scriptores aetatis hellenisticae et posterioris qua atticistarum disciplina pervagari coepit, exceptis Philodemo et Strabone; qui qua de causa praesentis optativum aoristo praetulerint, ex librorum argumento satis intellegi potest[4]). Sed cum Dione Chrys. et Philostratis conferentes eum ab his studio Attici coloris efficiendi superari statuendum est; etiam Clemens Alexan-

---

1) Schlachter, Ind. Forsch. XXII (1907) p. 229.
2) Thumb p. 249; Kapff p. 103.
3) Glatzel p. 40, 96; Jaekel p. 4, 46, 82; Scham p. 22/23.
4) Glatzel p. 40.

drinus hac in re veteribus magis quam Plutarchus appropinquat. Medium igitur locum inter hos et Dionysium obtinet; ex quo cognoscitur quam maxime atticistas I. et II. p. Chr. n. saec. ut elocutionem secundum Atticorum exemplum conformarent, operam dedisse, etsi magis magisque a cotidiani sermonis usu recesserunt, in quo optativum aoristi tempore progrediente adeo increbuisse, ut a IV. p. Chr. n. saec. optativus praesentis omnino non inveniatur, papyri nos docent[1]).

Etiam in generibus verbi usurpandis similem rem statuere possumus. Iam pridem enim constat medium in sermone vulgari hellenistico magnopere repulsum esse, quam ob rem atticistae usui eius renovando operam navabant[2]). Quo saepe factum est, ut modum transgrederentur et medium contra usum classicorum usurparent[3]). Quomodo autem scriptores aetatis hellenisticae et recentioris optativo activi et medii usi sint, hac tabula demonstratur[4]):

ratio inter numerum optativorum activi et medii est

in papyris Aegyptiis		5, 7 : 1
apud Clementem		5, 2 : 1
Strabonem		4, 6 : 1
Polybium		4, 5 : 1
Dionem Chrys.		3, 22 : 1
Philodemum		2, 6 : 1
Plutarchum	1303 : 502 =	2, 59 : 1
Dionysium		2, 2 : 1
Diodorum		2 : 1
Philostratum II.		2 : 1
Ps.-Longinum		1, 75 : 1
Philostratum III. (in 'Heroico')		1, 4 : 1

[1]) Harsing p. 20.

[2]) Hatzidakis p. 195, 196; Schmid, „Att." I 94, 239, II 50, III 71, IV 616 sq. 622; Tröger, „Der Sprachgebrauch in d. pseudolong. Schrift περὶ ὕψους und deren Stellung z. Atticismus" (1899 Erlangen I) p. 30; Mann, „Über den Sprachgebrauch d. Xenophon Ephesius" (1896 Kaiserslautern) p. 24.

[3]) Schmid, Att. I 94, 97, 239, IV 616, 617; Weissenberger p. 27; Mann p. 24/25; W. Schmidt, de Flavii Iosephi elocutione obs. crit. (Jahrb. f. klass. Phil. Suppl.-Bd. 20 [1894] p. 446).

[4]) Jaekel p. 5, 47, 83; Glatzel p. 41, 97; Scham p. 25.

Itaque Plutarchus in hac quoque re atticistarum praecepta sequitur, idque adeo ut dubium non sit, quin de industria a sermonis cotidiani consuetudine discedens medii usum auxerit.

Qui elocutionis Plutarcheae color Atticus etiam in usu verborum contractorum observatur, e quo numero verba in — *άω* et *-όω* exeuntia aetate hellenistica plane fere emoritura erant[1]). Haec quoque ut in usum revocarent, atticistae operam dabant[2]), ita ut apud Plutarchum inter 127 optativos contractos praesentis 23 verba in *-άω* et 104 in *-έω* desinentia inveniantur. Quos numeros si cum Dionysio comparamus, magna statuenda est differentia, cum hic inter 38 optativos praesentis verborum contractorum non plus duo in *-άω*, 31 autem in *-έω* cadentia usurpaverit.

Addendum est Polybium et Diodorum in verbis contractis in *-άω* et *-όω* desinentibus optativo praesentis omnino non usos esse uno Diodori loco excepto:

Diod. II 211$_{18}$ (Vogel): *προσηκόντως ἂν εὐφημίας ἀξιοῖμεν ἀθανάτου*

Quae forma cum in fragmento legatur, non sine dubitatione Diodoro ipsi tribuenda videtur esse.

Cum Dionysii usu plane congruit Philodemus[3]). A Strabone quamquam verba contracta in *-έω* desinentia longe creberrime usurpantur, tamen cetera verba contracta non prorsus negleguntur[4]). Paulo plura verba in *-άω* cadentia Dio Chrysostomus exhibet[5]), plurima autem Philostratus secundus, cuius in libris supra laudatis 66 formae verborum in *-έω*, 27 verborum in *-άω* exeuntium inveniuntur[6]). Contra verba in *-όω* desinentia ut apud ceteros ita apud hunc prorsus fere

---

[1]) In Graeca lingua nostrae aetatis verba in *-άω* et *-έω* desinentia inter se commixta sunt (cf. Hatzidakis p. 129), id quod iam in papyris et in Novo Testamento hic illic fieri videmus (cf. H. Reinhold, de graecitate patrum apostolicorum . . . diss. phil. Hal. XIV [1888] p. 85/86); Blass[2], p. 49; Moulton, Class. Rev. XVIII [1904] p. 110); verba in *-όω* exeuntia plane evanuerunt (cf. Schmid, „Att." IV 705; Thumb p. 15).

[2]) Schmid, „Att." IV 703 sq.

[3]) Glatzel p. 8.

[4]) Glatzel p. 42.

[5]) Jaekel p. 3.

[6]) Jaekel p. 44/45.

obsoleverunt. Ne apud Clementem quidem Alexandrinum ullum verborum in -όω desinentium exemplum est; ceteris autem rebus cum Plutarcho congruit, cum 40 locis verba contracta in -έω, 6 locis in -άω cadentia inveniamus[1]).

Ex quo efficitur, ut Plutarchus hac in re medium fere locum inter Dionysium et Dionem et inter Philostratum II. et Clementem teneat, ita autem ut magis his quam illis appropinquet.

Haec de usu temporum generumque optativi in universum erant dicenda. Veniamus nunc ad optativi formas ipsas; videamus igitur, utrum Plutarchus optativum secundum praecepta grammaticorum conformaverit an formis e sermone vulgari petitis usus sit.

1. Optativus praesentis activi medii passivi verborum in -ω exeuntium nihil mentione dignum praebet, cum a Plutarcho eodem modo atque a scriptoribus classicis conformetur. Liceat autem mihi hoc loco nonnulla dicere de formarum quarundam usu, quae non solum illius aetatis propriae, sed etiam ad Plutarchi sermonem diiudicandum alicuius momenti sunt.

Incipiamus a ratione, quae inter formas ἐθέλειν et θέλειν est; utraque enim Plutarchum uti videmus, ita autem ut 12 locis optativum verbi ἐθέλειν — semper post consonantem — et duobus tantum locis optativum alterius verbi — hunc quoque semper post consonantem — reperiamus. Praefert igitur ut in ceteris modis[2]) ita etiam in optativo formam longiorem, i. e. classicam, quae usque ad tertium saeculum a. Chr. n. una fere exstat[3]); quo e tempore forma correpta magis magisque increbescit, ita ut cum apud scriptores dialecti κοινῆς quae vocatur — velut apud Teletem[4]) vel Epictetum[5]) — tum in papyris[6]) et in Novo Testamento[7]) nunquam fere formam alteram inveni-

[1]) Scham p. 21.

[2]) Cf. lexicon Plut. s. v.

[3]) Cf. Lautensach, „Verbalflexion d. att. Inschr.“ (Progr. Gotha 1887) p. 9.

[4]) Cf. editionis, quam curavit Hensius (Teletis reliquiae 1909 [2] Tubing.) indicem s. v.

[5]) P. Melcher, de sermone Epicteteo . . . (diss. phil. Halenses XVII [1907]) p. 14.

[6]) Mayser p. 350.

[7]) Blass [2] p. 24.

amus. Atticistae etsi formam vetustiorem in usum revocare student (cf. Thom. Mag. p. 172 Ritschl: ἠθέληκα Ἀττικοὶ λέγουσιν ἀπὸ τοῦ ἐθέλω), tamen formam vulgarem radicitus evellere non possunt. Itaque scriptores temporum Caesarianorum utramque usurpant formam, ita tamen ut forma classica fere praeferatur, velut Strabo [1]), Ps.-Longinus [2]), Aelianus [3]), Philostratus secundus [4]), alii [5]). Ne Plutarchus quidem formam vulgarem aspernatur; praevalere autem apud eum formam Atticam supra dictum est.

Sequitur ut nonnulla de scriptura verborum ἀποθνῄσκειν et σῴζειν dicam, in qua editores Plutarchi non consentiunt, cum alii — velut Bernardakis Ziegler — ι subscriptum quod dicitur addant, alii, ut Sintenis omittant. Quod ι illis temporibus non iam enuntiatum esse constat; cui rei documento sunt et tituli Attici, in quibus hoc ι usque ad initium I. a. Chr. n. saeculi semper additum est, postea autem omittitur [6]), et papyri, in quibus ι subscriptum iam a II. a. Chr. n. saeculo evanescere incipit [7]), etsi viri docti veterem scripturam servare student. Fortasse Plutarchus utramque usurpavit scripturam, quem usum eundem et in papyris [8]) et apud aequales [9]) eius observamus. Itaque in controversia hanc quaestionem relinquemus; ne codices quidem adiumento nobis sunt, praesertim cum librariis in his rebus tradendis nulla sit fides habenda.

Similiter res se habet in verbis γίγνεσθαι et γιγνώσκειν; inveniuntur enim apud Plutarchum et hae et recentiores formae γίνεσθαι et γινώσκειν — etsi multo rarius —, quae III. a. Chr. n.

---

1) Crönert, memoria Gr. Hercul. (1903 Lips.) p. 131 adn. 5.

2) Tröger p. 15.

3) Schmid, „Att." III 32/33.

4) Schmid, „Att." IV 27.

5) Cf.: Veitch [3], Greek verbs irregular . . . (1871 Oxford) p. 273 sq.; Schmid, „Att." II 23, IV 590; Usener, Nachr. d. Götting. Ges. d. Wissensch. (1892) p. 49—50; Schwyzer, „Perg. Inschr." p. 173 adn. 2; Meisterhans-Schwyzer [3] p. 178; Nachmanson, „Laute und Formen der magnet. Inschr." (1903 Upsala) p. 155; Crönert p. 131 sq.

6) Meisterhans-Schwyzer [3] p. 179; Lautensach p. 12.

7) Mayser p. 123 sq.

8) Mayser p. 134.

9) Crönert p. 51 adn. 3.

saeculo ineunte exsistunt et brevi tempore tam late patent, ut in inscriptionibus Atticis illius aetatis longe praevaleant[1]), in aliis autem, velut in Pergamenis[2]), formas antiquiores prorsus depulerint. Etiam in papyris nulla alia nisi forma vulgaris legitur[3]), similiter atque apud scriptores dialecti κοινῆς, ut apud Teletem[4]), Polybium[5]), Aristeam[6]), in Novo Testamento[7]). Postea autem, temporibus Caesarianis, forma classica rursus in usu esse incipit, ita autem ut formae γίνεσθαι et γινώσκειν etiamnum praevaleant. Ut exempla nonnulla afferam, reperimus apud Ps.-Longinum, Polemonem, Aelianum[8]), Arrianum[9]) semper formam vulgarem; atticistae formam priorem fere praeferunt (cf. Moer. lex. p. 193, 23 Bekk.: γίγνεται Ἀττικῶς γίνεται Ἑλληνικῶς[10]). Eustath. ad Odyss. p. 1722, 55 sq.), velut Aristides, qui hac una utitur[11]); invenitur autem recentior quoque forma apud eos, velut apud Dionem Chrysostomum et Lucianum[12]). Etiam Plutarchum utraque forma usum esse supra dixi[13]), quam ob rem formam classicam omnibus locis etiam contra codicum lectionem restituere non opus videtur esse, id quod Bernardakis in Moralium editione fecit[14]).

Restat ut scripturam verbi μαλάσσοιτο (Dio 12 [V 10, 25]) breviter attingam; in universum enim Plutarchus formas in -ττ-

---

[1]) Meisterhans-Schwyzer[3] p. 177; Lautensach p. 9.

[2]) Schwyzer p. 128.

[3]) Mayser p. 164/165.

[4]) Hense[2] in indice s. v.

[5]) J. Stich, de Polybii dicendi genere (acta sem. phil. Erlangensis II 1881) p. 150.

[6]) Cf. editionis a Paulo Wendland curatae (1900 Lipsiae) indicem s. v.

[7]) Blass[2] p. 55.

[8]) Tröger p. 16.

[9]) Schmid, „Att.“ II 29 adn. 51.

[10]) V. commentat., quam scripsit A. Maidhof, „Zur Begriffsbestimmung d. Koine bes. auf Grund d. Attizisten Moiris“ (Festgabe f. M. v. Schanz [1912 Würzburg]) p. 323.

[11]) Schmid, „Att.“ II 29.

[12]) Tröger p. 16.

[13]) Idem statuit Weissenberger p. 80.

[14]) De aliorum usu scriptorum cf.: Schmid, „Att.“ II 29, IV 579; Crönert p. 92; Nachmanson p. 108; Lautensach, „Gramm. Stud. z. d. griech. Tragikern . . .“ (1899 Hannover) p. 62.

exeuntes praebet[1]), i. e. morem Atticorum sequitur, quibus *συριγμός* qui dicitur iniucundus et insuavis esse videbatur[2]); etiam in dialecto Boeotica exitus -*ττ*- unus in usu erat[3]). Itaque in inscriptionibus Atticis usque ad II. a. Chr. n. saeculum nullas alias formas nisi in -*ττ*- cadentes legimus[4]). Tum autem verba exitu -*σσ*- instructa invalescere incipiunt et alteram terminationem tam celeriter repellunt, ut non multum afuerit quin plane intercideret, id quod in Graeca lingua nostrae aetatis factum esse constat[5]). Mirum igitur non est in lingua vulgari hunc exitum unum fere inveniri, velut in papyris[6]), in inscriptionibus Pergamenis[7]) et Magnesiis[8]), in Novo Testamento[9]); etiam scriptores *κοινῆς* dialecti formis vulgaribus semper fere utuntur, velut Aristeas[10]). Contra Polybius et Diodorus formas Atticas saepius exhibent[11]), imprimis autem Dionysius Halicarnaseus exitum Atticum in linguam reducere studet, qua in re non raro ultra modum progressus est[12]). Quocum congruunt Philodemus[13]), Strabo[14]), postea Aelianus[15]), alii[16]); reperiuntur autem apud hos quoque formae quaedam in -*σσ*- cadentes, quamquam atticistae hunc exitum hellenisticum ideoque evitandum esse docent (cf. Moer. lex. p. 192, 36 Bekker: *βήττειν Ἀττικῶς. βήσσειν Ἑλληνικῶς*[17]). Similis usus apud Lucianum[18]) et Philostratum[19]) est,

---

[1]) v. Wilamowitz-Moellendorff, Hermes XXV (1890) p. 215 adn. 2.
[2]) Cf. Dion. Hal. de comp. verb. c. 14 p. 54 Us.-Rad.
[3]) Nachmanson p. 95.
[4]) Wackernagel, Hellenistica (1907 Götting.) p. 19.
[5]) Wackernagel p. 23.
[6]) Mayser p. 222.
[7]) Schwyzer p. 125.
[8]) Nachmanson p. 95.
[9]) Wiener-Schmiedel[8] § 5, 27 c.; Blass[2] p. 24/25.
[10]) Cf. indicem libelli (ed. Wendland) s. v. *πράσσειν τάσσειν* sim.
[11]) Wackernagel p. 24.
[12]) Wackernagel p. 24; Litteram *Σ* de littera *Τ* progrediente querentem facit Lucianus in 'iud. voc.' c. 8.
[13]) Crönert p. 134.
[14]) Schmid, Att. II 84.
[15]) Schmid, Att. III 18.
[16]) Schmid, Att. IV 579; Thumb p. 78 sq.
[17]) Cf. Maidhof p. 317/318.
[18]) Schmid, Att. III 15.
[19]) Schmid, Att. IV 14.

quibuscum congruit Plutarchus, quem eundem hic illic exitu ionico uti supra dictum est. Unus Aristides formis in -σσ- exeuntibus plane caret[1]), quippe qui formas vulgares evitare semper maximo opere studeat, id quod iam supra in usu verborum γίγνεσθαι et γιγνώσκειν tractando observavimus (cf. p. 28).

Itaque multum valuisse atticismum ad Plutarchi sermonem conformandum iam e rebus modo expositis intellegi potest, quamvis minutae nobis videantur. —

Sed haec quidem de optativo praesentis verborum in -ω desinentium; dicam nunc

2. de optativo praesentis act. verborum contractorum, quibus scriptor satis saepe, praecipue in -εω cadentibus (cf. p. 25), usus est. Quorum verborum formae omnes fere secundum leges Atticorum conformatae sunt, ita ut prima persona singularis semper in (-οί)ην, secunda in (-οί)ης exeat. Una forma ad hanc legem quadrare non videtur, quae est in libro 'de E ap. Delph.' inscripto:

M. 390 F: εἰ τὴν ψυχὴν αὐτὴν κατὰ φύσιν διαιροῖς, πρῶτον αὐτῆς .. ἐστι τὸ θρεπτικόν.

Sed animadvertendum est in codd. indicativum διαιρεῖς traditum esse, quem et Reiskius et Wyttenbachius in textum recipere non dubitaverunt, Duebner autem in optativum διαιροῖς mutavit, quam coniecturam et Bernardakis et Patonus[2]) probaverunt. Tamen non est cur a lectione tradita recedamus, cum in verbis supra allatis indicativo in apodosi exstanti idem modus in protasi melius quam optativus respondeat. Itaque forma διαιρεῖς mutanda non videtur esse.

Tertia persona singularis semper in -ῴη et -οίη desinit quattuor locis exceptis

Sol. 29 (I 186, 9): κινοῖ

(Sintenis κινοίη scribit)

de garrul. M. 511 D: εἰ δὴ .. τὰ τοιαῦτα συνεχῶς τις σκοποῖ καὶ ἀναλαμβάνοι, παύσαιτ' ἂν ἴσως ἡδόμενος

(Codices σκοπεῖ praebent, quod Bernardakis, cum propter

---

[1]) Schmid, Att. II 83 sq.

[2]) Pyth. dial. tres p. 15.

optativos insequentes aperte falsum sit, facile in σκοπεῖ mutat. Reiskius Wyttenbachius Duebner εἴποι scribunt, quod Stegmannus [1]) in ἐπίοι mutari vult)

gen. Socr. M. 587 C: κἂν εἴ τις ἐπιχειροῖ κατηγορεῖν, . . ἡ πρᾶξις . . κρατήσει

(Codices coniunctivum exhibent, Weissenberger (p. 35) facile in optativum ἐπιχειροῖ correxit. Bernardakis ἐπιχειροίη scribit)

quaest. conv. M. 688 E: ἐπαντλοῖ

Neque has formas corrigere ausim, etsi omnibus aliis (43) locis exitum longiorem (-οί)η invenimus; quamquam enim in universum apud scriptores prosae orationis formae longiores multo saepius inveniuntur et formas in -οίην -οίης -οίη exeuntes esse Atticas Herodianus nos docet [2]), tamen formae correptae haud ita raro ab Atticis usurpantur, quin etiam Plato semper fere formis brevioribus utitur, hic illic etiam Herodotus Thucydides Xenophon [3]). Posteris temporibus terminatio -οῖ etsi valde reprimitur, tamen non prorsus evanescit; imprimis scriptores sermonis vulgaris hanc terminationem alteri praeferunt velut Aristeas [4]) et chartarum scriptores Aegyptiarum [5]). Atticistae in his formis usurpandis nullam legem certam sequuntur [6]): alii exitum longiorem praeferunt, ita autem ut alterum non plane aspernentur, velut Aristides [7]), Lucianus [8]), Philostratus secundus [9]); apud alios terminationes vulgares omnino desunt, ut apud Philodemum [10]), Dionysium [11]), Strabonem [12]); etiam a Clemente in

[1]) Stegmann, „Krit. Beitr. z. d. Moralia d. Plutarch" (1886 Leipzig) p. 28.

[2]) II 821, 39; 823, 7 (Lentz).

[3]) Veitch³ p. 329; Crönert p. 217 adn. 1; Kühner-Blass, „Ausführl. Gramm. d. griech. Sprache" (1890—92 Hannover) I 2 p. 72; La Roche, „Beitr. z. griech. Gramm." (1893 Leipzig) p. 139, 142 sq. Quibuscum dissentit Rutherford, qui (in 'The new Phrynichos' p. 442 sq.) prosae orationis et comoediarum sriptores classicos nullis aliis nisi formis longioribus in singulari usos ideoque omnes locos ab hac lege abhorrentes mutandos esse censet.

[4]) -οῖ 8ies, -οίη semel: Wendl. p. 224.

[5]) Mayser p. 326.

[6]) Schmid, Att. IV 588.

[7]) Schmid, Att. II 21.

[8]) Schmid, Att. I 228.

[9]) Schmid, Att. IV 25; Jaekel p. 47/48.

[10]) Glatzel p. 7.

[11]) Schroefel p. 27. [12]) Glatzel p. 43.

his formis semper terminationes Atticae, i. e. longiores in singulari, contractae in plurali, usurpatae sunt[1]). Quibus contrarius est Dio Chrysostomus, apud quem terminatio *-oĩ* in tertia singularis longe praevalet[2]).

Itaque apud Plutarchum formas supra enumeratas non temere esse mutandas crediderim; accedit autem altera causa haud neglegenda: Plutarchum summa fere in vitando hiatu diligentia fuisse nemo nescit; praeterea autem alio modo orationem ornatam atque elegantem efficere studet, velut figuris rhetoricis ceterisque artificiis usurpandis, quae tum in rhetorum scholis tradebantur[3]). In quibus etiam clausulas quae vocantur rhythmicas habendas esse constat, quas iam Abernettyus in Plutarchi 'de superstitione' libello invenisse sibi videbatur[4]). Neque vero in hoc solo, sed etiam in reliquis omnibus Plutarchi libris orationem numerose cadere intellegimus, praecipue in scriptis quae dicuntur rhetoricis, i. e. quorum sermonem Plutarchus omnibus artificiis rhetoricis ornavit, ita ut e rhetorum disciplina eum profectum esse pateat[5]). Quae artificia omnia quamquam iam pridem viri docti apud Plutarchum observaverunt, tamen clausularum usum et rhythmum, quantum scio, nemo adhuc persecutus est. Quam ob rem hoc loco, quid de numeri apud Plutarchum usu iudicandum sit, summatim exponere liceat.

Ac primum quidem statuendum est quattuor quasi principales clausularum formas apud Plutarchum omnes inveniri; sunt hae:

A. ditrochaeus — ᴗ — ∾[6])
B. creticus trochaeo vel spondeo auctus — ᴗ — — ∾
C. dicreticus — ᴗ — — ᴗ ∾
D. trochaeus cretico auctus sive hypodochmius — ᴗ — ᴗ ∾

---

[1]) Scham p. 27/28.
[2]) Schmid, Att. I 83; Jaekel p. 6—8.
[3]) F. Krauss, „Die rhetor. Schriften Plutarchs . . .“ (1912 München) p. 22 sq.
[4]) W. Abernetty de Plutarchi qui fertur de superstitione libello (1911 Königsberg) p. 66.
[5]) R. Hirzel, „Plutarch“ (1912 Leipzig) p. 7.
[6]) Signo ∾ syllabam ancipitem significari volo.

Quibus e formis ceterae omnes derivari possunt longis syllabis aut dissolutis aut pro brevibus substitutis. Itaque has clausularum formas conspicimus:

A.	— ◡ — ∾	◡ ◡ ◡ — ∾
	— — — ∾	◡ ◡ — — ∾
	— ◡ ◡ ◡ ∾	
B.	— ◡ — — ∾	— ◡ ◡ ◡ — ∾
	◡ ◡ ◡ — — ∾	— ◡ — ◡ ◡ ∾
C.	— ◡ — — ◡ ∾	◡ ◡ ◡ — — ◡ ∾
	— — — — ◡ ∾	— ◡ ◡ ◡ — ◡ ∾
	— ◡ — ◡ ◡ ◡ ∾	
D.	— ◡ — ◡ ∾	◡ ◡ ◡ — ◡ ∾
	— — — ◡ ∾	— ◡ ◡ — ◡ ∾

Quarum omnium formae A usitatissimae sunt, ita ut frequentia reliquas omnes longe superent; neque id mirum est spectanti hunc rhythmum non modo a scriptoribus Atticis, quamquam magnam clausularum varietatem exhibent, sed etiam a scriptoribus Asianis qui dicuntur ceteris praelatum esse. Postea quoque latissime patet et apud scriptores I. et II. p. Chr. n. saeculi et apud Libanium[1]. Singulas autem formas generis ditrochaici percensentes principalem (— ◡ — ∾) Plutarcho maxime in deliciis esse intellegimus. Secundum locum obtinet dispondeus; eiusdem momenti est clausula, cuius prior syllaba longa dissoluta est (◡ ◡ ◡ — ∾), qua in re Plutarchus haud raro prioris trochaei thesim producit (◡ ◡ — — ∾). Rarius autem altera syllaba longa soluta est (— ◡ ◡ ◡ ∾). Ditrochaeum Plutarchus pedibus quibusdam praemissis augere solet, id quod ei cum Atticis scriptoribus non minus quam cum posterioribus commune est. Quo modo clausulam longiorem gravioremque fieri apparet, quam ob rem haec amplificatio apud Plutarchum persaepe, ne dicam paene semper invenitur. Creberrime autem trochaeus vel spondeus ante ditrochaeum positus est; etiam ditrochaeum vel dispondeum vel spondeum trochaeo auctum satis saepe excipit. Praeter hos pedes Plutarchus satis saepe creticum vel molossum ante ditrochaeum admisit; pro cretico etiam paeonem primum (— ◡◡◡) et quartum (◡◡◡ —) invenimus.

[1] Maxim. Heitmann, de clausulis Libanianis (1912 Münster) p. 20 sq.

Dactylum quoque ditrochaeo additum esse observamus; rarius autem choriambus antecedit.

Huic generi clausularum alterum, quod e cretico et trochaeo conformatur, aliquantum cedit, etsi hoc ipso gravitas quaedam atque elatio orationis effici videtur, quam ob rem cum aliis tum Demostheni usitatissimum est. Plutarchus complures huius clausulae formas praebet, cum in basi cretica et priorem et alteram syllabam longam hic illic solverit; accedit quod haud ita raro tribrachys pro trochaeo creticum sequitur. Est ubi cretici locum molossus, molossi autem choriambus occupaverit; rarissime paeonem quartum tribrachys excipit (⏑ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ ⏓).

In minore usu dicreticus apud Plutarchum est, ita ut cum plurimis illius aetatis scriptoribus, qui quidem numeris student, congruat. Polemo unus hanc clausulam adeo adamavit, ut tertiam fere partem omnium clausularum efficiat[1]). Inter singulas huius generis formas dicreticus purus praevalet; praeter hunc molossum, rarius choriambum cum cretico coniunctum invenimus. Praeterea fit ut prioris cretici loco paeon primus vel quartus, alterius loco paeon quartus positus sit.

Postremo dicamus de clausula e trochaeo et cretico conformata, quam hypodochmium nominare solemus. Cuius usum ut Attici scriptores magnopere auxerunt, ita posteri videntur paulum neglexisse. Contra Cicero illos sequitur, cum hanc clausulam non modo forte admiserit, sed consulto quaesiverit[2]). Simili modo Plutarchus hoc in genere Atticorum vestigia premit; invenimus hypodochmium in libris eius haud raro usurpatum. Praeter formam usitatam, i. e. basim trochaicam non raro basim dactylicam vel spondiacam praebet. Huic quoque clausulae pedes quosdam praemittere solet, saepissime trochaeum vel ditrochaeum et spondeum vel dispondeum. Creticum quoque ante hypodochmium admisit, hic illic paeonem primum et quartum; rarius dactylus vel molossus vel choriambus antecedunt.

Restat ut nonnulla de clausula heroica (— ⏑ ⏑ — ⏓) addam, quam scriptoribus Atticis, imprimis Demostheni, satis usitatam,

---

[1]) M. Heitmann l. l. p. 29.

[2]) J. Wolff, de clausulis Ciceronianis (Jahrb. f. klass. Phil. Suppl.-Bd. 26 [1901] p. 586 sq.); Zielinski, Philol. Suppl. 1914.

a Romanis autem diligentissime evitatam esse constat. Etiam Graeci posterioris aetatis scriptores ut Charito[1]) hunc numerum minoris videntur fecisse. Aliter Plutarchus, qui classicorum rationem secutus hoc clausularum genus minime aspernatus est. Quin etiam clausulae pedibus quibusdam amplificandae operam dat, ut trochaeo vel spondeo et cretico.

Haec principalia clausularum genera apud Plutarchum observantur; accedunt alia ut rhythmus dochmiacus, iambicus sim., quae clausulae cum ab oratione numerosa alienae sint, rarissime inveniuntur.

Verum ut ad id, unde sum digressus, revertar, Plutarchum ex industria in formis supra allatis utrumque exitum admisisse crediderim, ut verba nunc hoc nunc illo numero facile astringeret. Videamus igitur, num hac usi observatione diiudicare possimus, utrum formae in exitum breviorem *-οῖ* cadentes tolerandae an corrigendae sint.

Ac primum quidem conspiciamus locum

Sol. 29 (I 186, 9): *εἴ τις τὰ παρόντα κινοῖ καὶ νεωτέρων ὀρέγοιτο*

ubi verba *τις τὰ παρόντα κινοῖ* clausulam Plutarcho usitatissimam — ditrochaeum dactylo praecedente — efficiunt, cui in fine alterius membri clausula e dactylo et trochaeo composita respondet.

Contra secundo loco

de garr. M. 511 D: *εἰ . . συν/εχῶς τις σκοποῖ καὶ ἀναλαμβάνοι*

prius enuntiati condicionalis membrum in dochmium cadit, i. e. clausulam rarius usurpatam, cui in altero membro idem rhythmus dochmiacus respondet, cum verbis *καὶ ‿ ἀναλαμβάνοι* hypodochmius efficiatur. Praeterea autem terminatione *-οῖ* bis repetita homoeoteleuton quod vocant efficitur, quod ut ornamentum rhetoricum Plutarchus saepissime usurpavit idque ita, ut duo vel plura deinceps vocabula in eandem syllabam vel easdem syllabas desinant[2]). Cuius rei exempla cum in omnibus

---

[1]) Heibges, de clausulis Charitoneis (1911 Münster) p. 19.

[2]) I. Seidel, vestigia diatribae qualia reperiuntur in aliquot Plut. scriptis mor. (1906 Breslau) p. 24/25.

Plutarchi scriptis inveniantur[1]), plura enumerare nolo; satis est nonnullos locos supra laudato similes attulisse, velut

virt. mor. M. 451 E: *οὐδὲ βουλόμενος ἄν τις ἀποσπάσειεν οὐδ' ἀποῤῥήξειεν*[2]),

quo loco non solum homoeoteleuton, sed etiam isocolon reperimus, vel

bruta rat. uti M. 986 B: *πῶς γὰρ ἂν ἢ δοῖεν οὗτοι λόγον ἢ λάβοιεν . .;*

non posse suav. M. 1093 C: *τίς δ' ἂν φάγοι πεινῶν καὶ πίοι διψῶν . . ἥδιον ἢ διέλθοι . .;*

mul. virt. M. 262 B; an vitios. M. 498 E;

inv. et od. M. 538 E sim.

Etiam tertio loco

gen. Socr. M. 587 C: *κἂν εἴ τις ἐπιχειροῖ κατηγορεῖν*

rhythmum cum clausularum formis supra enumeratis congruere videmus, cum haec quoque verba in hypodochmium, qui paeonem quartum excipit (⏑⏑⏑ — | — ⏑ — ⏑ —), cadant.

Denique quarto quoque loco

quaest. conv. M. 688 E: *ὡς γὰρ ἐν κήπῳ εἰ μή τις ἐπαντλοῖ καὶ ἄρδοι τὰ φυτὰ διψῆν . . ἀναγκαῖόν ἐστιν*

forma *ἐπαντλοῖ* tolerari posse mihi videtur, non solum cum in verbis *μή τις ἐπαντλοῖ καὶ ἄρδοι* rhythmus spondiacus dactylo praemisso insit, sed etiam cum exitu *-οῖ* bis repetito homoeoteleuton idem quod supra (M. 511 D) efficiatur.

Videmus igitur ad tales quaestiones diiudicandas etiam clausulas alicuius momenti esse, quam ob rem operae pretium esse puto has leges accuratius indagare. Simul autem patet Plutarchum et in rhythmi usu universo et in singulis clausularum formis ex Atticis pendere, imprimis e Demosthene, cuius varietatem rhythmorum ut imitarentur iam Dionysius, qui ipse

[1]) Cf. Seidel l. l.; Abernetty p. 10; Krauss p. 39.

[2]) Bernardakis *ἀποτήξειεν* scribit; Reiskii emendationem restituit Hartmanus (Mnemos. 42 [1914] p. 8). Quae correctio eo confirmatur quod clausula *ἀ|ποῤῥήξειεν* (— — — ⏑) apud Plutarchum crebriore in usu quam clausula *οὐδ' ἀποτήξειεν* (— ⏑ ⏑ — — ⏑) est et ad membrum prius *ἀ|ποσπάσειεν* (— ⏑ — ⏑) melius quadrat.

orationem numeris videtur vinxisse[1]), discipulos suos adhortatus est[2]).

Sed revertamur ad propositum!

Plutarchum in tertia persona singularis formas sermonis vulgaris proprias non prorsus repressisse vidimus; aliter se habet in tertia pluralis, quae apud eum ut apud ceteros scriptores — perpaucis exemplis, quae in sermone vulgari ut in papyris[3]) et apud Aristeam[4]) inveniuntur, exceptis — semper in *-ῷεν* et *-οῖεν* desinit.

Prima et secunda persona pluralis praesentis activi verborum contractorum non reperitur.

3. Similiter atque verborum contractorum optativus praesentis activi verborum in *-μι* exeuntium formatus est, quibuscum ceterae optativi formae in *-αίην* vel *-είην* vel *-οίην* cadentes coniungi possunt.

Quarum singularis semper syllabis *(-αί)ην (-αί)ης (-αί)η* terminatur; in plurali quoque prima et secunda persona exitu longiore instructae sunt, tertia autem omnibus locis in *(-αῖ)εν* exit.

Mentione dignum est eas formas, quae ab hac lege abhorrent, in scriptis subditis inveniri; sunt hae:

εἴησαν apopth. Lac. M.* 231 B;
apopth. Lac. M.* 235 B
δοίησαν X or. vit. M.* 847 C
ἐκδοίησαν X or. vit. M.* 846 E.

Eodem modo quo Plutarchus aequalis eius, Dio Chrysostomus, hunc optativum secundum Atticorum normam conformavit[5]); etiam Clemens nullas alias nisi formas Atticorum proprias exhibet[6]). Ex quo efficitur, ut hae formae atticistis maxime fuerint acceptae, quam ob rem mirum non est etiam Strabonem

---

[1]) J. Bruns, „Die atticist. Bestrebungen in d. griech. Litt." (1896 Kiel) p. 13.
[2]) Cf. Dion. Hal. de comp. verb. c. 25.
[3]) Mayser p. 327; Crönert p. 218.
[4]) Cf. *θεωροίησαν* § 190 (Wendl.).
[5]) Jaekel p. 11.
[6]) Scham p. 34.

et Ps.-Longinum semper terminationibus classicis uti [1]). Contra Philodemus hac in re minus diligentem se praebet, cum in prima persona pluralis et exitu longiore (bis) et breviore (quater) utatur et in tertia pluralis exitum (-ει)ησαν alteri aperte praeferat [2]). Quin etiam Dionysius Hal. exitum longiorem tertiae pers. plur. non semper evitavit; invenimus enim apud hunc quater formam εἴησαν [3]), qua Plutarchum nunquam uti supra expositum est quamque a scriptoribus bonis non esse usurpandam grammaticus docet [4]).

Restat ut de nonnullis dicam formis, quae inter hos optativos inveniuntur et mentione dignae sunt propterea quod e sermone vulgari petitae videntur esse. Praebet enim Plutarchus aliquot locis pro classica formam recentiorem, ita ut duae apud eum formae simul exstent. Sunt hi optativi:

διδῴη Pyrrh. 14 (II 300, 29); Lys. 9 (II 390, 17)
ἐκδῴη Mar. 10 (II 338, 4)
ἀλῴη Ant. 48 (IV 391, 2).

Omnibus aliis locis formae in -οίη desinentes usurpatae sunt. Quem exitum -ῴη pro -οίη linguae hellenisticae esse proprium grammatici confirmant, velut Moeris (p. 194, 11 Bekk.: *δοίημεν δοίητε Ἀττικῶς, δῴημεν δῴητε Ἑλληνικῶς.* — p. 208, 9. — Cf. etiam Maidhof p. 325), Phrynichus (p. 343 Lob. [5]): *γαμῴη μὴ λέγε, ἀλλὰ γαμοίη.* — p. 345), Thomas Magister (p. 91/92 Ritschl); qui brevi tempore tam late patet, ut in omnibus optativis in -οίην desinentibus aetate hellenistica inveniatur [6]). Cuius rei exempla apud multos scriptores hellenisticos invenimus, imprimis apud eos qui sermone vulgari utuntur, velut apud Aristeam [7])

---

[1]) Glatzel p. 45, 97.

[2]) Glatzel p. 9/10.

[3]) Schroefel p. 32.

[4]) Cf. Etymol. Gudian. p. 631, 50: *τὸ τρίτον οὐκ εἴησαν, ἀλλ' εἶεν.* — Contra antiatticista (Bekker anecd. Gr. I [1814] p. 95, 10) monet: *εἴησαν ἀντὶ τοῦ εἶεν.* — In papyris semper est εἴησαν (Mayser 326).

[5]) = p. 429—456 Rutherford.

[6]) Schwyzer p. 191; Thumb p. 14/15; Blass² p. 51 adn. 3; Maidhof p. 325.

[7]) Cf. δῴη § 100 W. ἀποδῴη § 238 W.

et Epictetum[1]), non minus in Novo Testamento[2]) et in papyris[3]), saepissime autem in voluminibus Herculanensibus, in quibus non modo verborum in *-έω*, sed etiam in *-όω* exeuntium terminationes inflexas videmus esse[4]). Ne atticistae quidem his formis carent, etsi a grammaticis improbantur; haud pauca exempla in Philodemi[5]), Flavii Iosephi[6]) — mentione dignum est Guilelmum Schmidt has formas omnes corrigi voluisse non modo apud Iosephum, sed etiam apud scriptores sequiores ut Plutarchum — Aeliani[7]) libris sunt. Etiam Dio Chrysostomus saepius ab Atticorum norma recedit[8]), similiter se habent Sextus Empiricus[9]), Lucianus[10]), Arrianus[11]), Philostratus secundus[12]), Dio Cassius[13]), Pseudolibanius[14]). Quin etiam in Clementis libris has formas vulgares velut *δῴη γνῴη* reperimus[15]), id quod eo magis mirum est quod hic ipse scriptor ceteris locis formas Atticas vulgaribus aperte praefert. Etiam in inscriptionibus inferioris aetatis inveniuntur, velut

δῴη C. I. A. III 2, 3509, 11/12 (= saec. IV.—V. p. Chr. n.).

Ex quo intellegitur has formas, etsi recentes et sermonis vulgaris propriae sunt, tamen ab atticistis haud raro usurpatas esse. Itaque apud Plutarchum quoque formae illae tolerandae sunt, id quod Lobeckius (Phryn. p. 346) intellexit; neque iniuria Sintenis eas servavisse mihi videtur repugnantibus Bekkero et Schaefero. Eadem de causa ne *ῥιγῴη* quidem formam (in 'apopth. Lac.' M.* 233 A) corrigemus, quam Bernarda-

---

[1]) Cf. *ἀναγνῴη* diss. II 23, 1.

[2]) Blass[2] p. 51.; Winer-Schmiedel[8] § 14, 10; Reinhold p. 91.

[3]) Mayser p. 327.

[4]) Crönert p. 214/215.

[5]) Glatzel p. 7—9.

[6]) W. Schmidt, de Flav. Ios. el. . . . p. 478.

[7]) Schmid, Att. III 30.

[8]) Jaekel p. 11/12.

[9]) Crönert p. 215 adn. 2.

[10]) Du Mesnil, grammatica quam Lucianus in scriptis suis secutus est ratio (1867 Stolp) p. 6.; Schmid, Att. I 231; La Roche p. 148.

[11]) Cf. *ἁλῴη* de venat. III 193.

[12]) Schmid, Att. IV 25, 33; Jaekel p. 49.

[13]) Cf. 42, 4; 47, 30 Boiss.

[14]) Liban. IV 1106, 5 (Reiske) = VIII 50, 3 Foerster: *ἁλῴη*.

[15]) Scham p. 32.

kis unus in ῥιγοῖ mutavit, praesertim cum iam apud veteres scriptores verba ἱδρόω et ῥιγόω hoc modo flexa sint[1]). Etiam formam δῴην (apopth. Lac. M.* 235 E), quam Bernardakis cum Turnebo in δοίην correxit, non est cur mutemus; immo vero Lobeckium sequemur, qui hoc quoque loco textum traditum[2]) defendit (ad Phryn. p. 346).

Quamquam apud veteres scriptores tales formas menda librariorum esse apparet, quam ob rem ab editoribus nunc iure correctae sunt[3]).

4. Optativus futuri apud Plutarchum satis multis (29) locis reperitur, in quibus duae formae passivi sunt. Itaque eum in hac quoque re classicorum vestigiis ingredi cognoscimus, qui hoc optativo satis saepe utuntur, imprimis Xenophon et Plato, etiam Sophocles Thucydides Demosthenes[4]). Recentioris aetatis scriptores optativum futuri aut rarissime adhibent aut plane neglegunt velut Diodorus[5]) et Epictetus[6]), ut taceam de papyris et Novi Testamenti libris, in quibus nunquam invenitur[7]). Ne apud atticistas quidem in maiore est usu: Philodemus et Strabo nullum[8]), Dionysius perpauca (5) exempla exhibet[9]); in Dionis Chrys. orationibus 8 optativi futuri medii (in quibus quinquies forma ἔσοιτο) usurpati sunt[10]); Clemens quoque hunc optativum magnopere neglexit et duo tantum exempla praebet[11]), item Philostratus tertius (4 exempla[12])). Unus Philostratus secundus cum Plutarcho comparari potest, cum in 'vit. Apoll.' et 'vit. soph.' 25 optativi futuri invenian-

---

1) Cf. Moer. p. 208, 26. 208, 33 Bekk.; Brugmann-Thumb⁴ p. 71. 389.

2) Cod. Ambros. 82 et Venetus 250 δώην praebent.

3) Veitch³ p. 289, 511; Meyer³, „Gr. Gramm." p. 660; Rutherford, The new Phryn. p. 456; Kühner-Blass³ I 2 p. 192 adn. 2.

4) L. Klemens, de fut. optat. (1855 Vratisl.) p. 25 sq.; F. Fassbaender, de fut. opt. (1884 Lips.) p. 59; Schlachter, Indog. Forsch. XXIV (1909) p. 201.

5) Kapff p. 14.

6) Melcher p. 8.

7) Harsing p. 20. — Blass² p. 38.

8) Glatzel p. 6, 40.

9) Schroefel p. 22, 24.

10) Jaekel p. 4/5.

11) Scham p. 23/24.

12) Jaekel p. 81/82.

tur [1]). Itaque Plutarchus hac in re sermoni Atticorum magis quam illi appropinquat; simul autem intellegimus, quantopere a sermone vulgari recesserit, e quo optativus futuri Plutarchi aetate prorsus evanuit, etsi posteris saeculis reviviscere incipit et latius quam antea patet [2]).

5. Veniamus nunc ad optativum aoristi primi activi, cuius exitus ut apud classicos ita apud Plutarchum fluctuant, cum nonnullis (22) locis pro formis Aeolicis quae dicuntur Atticas in -αις et -αι desinentes inveniamus. In universum hae formae, quae recentiores sunt quam Aeolicae [3]), a scriptoribus raro usurpantur, ut ab Herodoto et Thucydide [4]), paulo saepius a Xenophonte, Platone, Isocrate [5]), nunquam ab Antiphonte, Andocide, Lycurgo, Dinarcho [6]); etiam tituli Attici aetatis classicae his formis carent [7]). Accedit quod ab Aristophanis quoque comoediis formae in -αι exeuntes omnino absunt, quam ob rem viri docti ut Rutherfordius (The new Phryn. p. 433 sq.) has formas omnes e classicorum libris eiciendas esse censent.

Contra in sermone vulgari creberrimae sunt [8]), ut in Novo Testamento et in papyris, quae nullas alias formas nisi Atticas praebent [9]).

Ac Plutarchum quidem utraque uti terminatione supra dixi, ita autem ut formae Aeolicae longe praevaleant [10]); invenimus enim in tertia pers. sing. terminationem -ειε 268^{ies}, -αι autem 22^{ies} vel potius duobus locis detractis quibus optativum falsum esse contextu verborum demonstratur (cf. p. 16), 20^{ies}.

---

[1]) Jaekel p. 46.

[2]) Quam mendose tum in lingua vulgari usurpatus sit, docet Usener „D. heil. Tychon“ (1907 Leipzig) p. 55/56.

[3]) J. Wackernagel, „Verm. Beitr. z. griech. Sprachkunde“ (1897 Basel) p. 42.

[4]) Schmid, Att. III 31.

[5]) La Roche p. 132—137; Röder, „Über d. Gebrauch d. nichtäol. Opt.-Formen b. d. Attikern“ (Ztschr. f. d. Gymn.-Wes. 1882 p. 623).

[6]) Schmid, Att. III 31.

[7]) Lautensach, „Verbalflex. d. att. Inschr.“ p. 24.

[8]) Schmid, Att. IV 588; Winer-Schmiedel [8] p. 114.

[9]) Blass [2] p. 48; Mayser p. 326.

[10]) Qua re fieri potuit, ut Doehner (quaest. Plut. II 11) pro φήσαι ubique rescribendum esse φήσειε censeret, quamquam illa forma 8^{ies}, haec autem bis usurpatur.

Quos numeros si inter se comparamus, hanc conspicimus rationem:

20 : 268 = 1 : 13, 4.

Quomodo autem alii scriptores, qui post classicorum aetatem fuerunt, in eadem re se habeant, hac tabula demonstratur [1]):

Ratio inter formas in -αι et -ειε desinentes est

apud	Diodorum	1 : 0, 75
	Polybium	1 : 0, 9
	Philonem	1 : 1, 6
	Philodemum	1 : 2, 3
	Dionem Chrys.	1 : 4, 63
	Strabonem	1 : 6, 7
	Dionysium	1 : 36.

Facile igitur intellegimus cum Plutarchum tum Dionysium exitum -αι vitare studuisse; quo hanc formam ab iis vulgarem habitam esse demonstratur. Eo magis mirum est atticistas quosdam suo arbitrio inter formas Atticas et vulgares fluctuare, ut Dionem Chrysostomum et Aristidem, cuius in scriptis ratio inter has formas 15 : 73 = 1 : 5 est [2]). Magis quam hi cum Plutarchi usu congruit Flavius Iosephus; hic quoque exitum -αι rarissime usurpat, quam ob rem Guilelmus Schmidt in libris eius omnes formas in -αι desinentes emendari voluit [3]), id quod iniuria eum fecisse apparet [4]). Similiter atque Iosephus se habent Lucianus, Aelianus [5]), Philostratus secundus (-αι : -ειε = 1 : 21 in 'vit. Apoll.') [6]), Dio Cassius [7]), Xenophon Ephesius [8]), qui omnes perpaucis locis exceptis una terminatione -ειε utuntur. Plane contrarius est usus apud Clementem, qui exitum -αι 31^{ies}, -ειε autem 11^{ies} usurpavit [9]), ita ut in hoc optativo conformando etiam Polybio et Diodoro sermonis sinceritate

[1]) Jaekel p. 9; Glatzel p. 44.
[2]) Schmid, Att. III 31.
[3]) W. Schmidt, de Fl. Jos. el. p. 444.
[4]) Crönert p. 213/214; St. Witkowski, Burs. Jahresb. 159 (1912) p. 186.
[5]) Schmid, Att. III 30/31.
[6]) Jaekel p. 48/49.
[7]) Crönert p. 213.
[8]) Mann p. 6.
[9]) Scham p. 29.

cedat. Cuius rei quamquam causa probabilis vix cognosci potest[1]), tamen Clementem sine ulla causa certa inter utrumque exitum fluctuare facilius crediderim quam exitum Atticum ab eo alteri propterea esse praelatum, quod Clementis aetate formae Aeolicae in lingua vulgari praevalerent, id quod Schamius e papyrorum usu colligere se posse putat[2]), cum in chartis p. Chr. n. exaratis terminatio *-ειε* multo latius pateat quam altera. Sed praeterquam quod numerus exemplorum, quae papyri exhibent, exiguus (8) est, usus omnium I. et II. p. Chr. n. saeculi scriptorum nos docet formas Aeolicas apud scriptores litteris eruditos, quales erant atticistae, semper — Clemente excepto — praevalere, contra scriptores litteris leviter imbutos terminationes Atticas adamasse[3]). Accedit quod atticismum ad eos quoque scriptores qui ad vulgaris sermonis genus accedunt, vim aliquam habuisse certum est; qua re non est cur miremur formas quasdam classicas vel potius linguae vulgari inusitatas ab his quoque usurpatas esse.

Restat ut quaeramus, utrum Plutarchus formis in *-αι* desinentibus certis de causis an arbitrio usus sit. Ac primum quidem statuendum est has omnes ante consonantem positas esse; itaque nunquam hoc exitu hiatus verborum efficitur, id quod mirum non est respicienti, quam diligenter vocalium concursionem evitaverit. Etiam apud Dionysium, Diodorum[4]), Philodemum, Strabonem[5]), Philostratum secundum[6]) semper consonans aliqua exitum *-αι* excipit. Minore diligentia sunt Dio Chrysostomus[7]) et Clemens[8]), qui post hunc exitum hiatum non semper evitaverunt.

Sed etiam formas in *-ειε* desinentes saepissime ante consonantem inveniri per se intellegitur; itaque alteram causam accedere crediderim, quare Plutarchus duplicem in his formis

[1]) Scham p. 30.
[2]) Scham p. 31.
[3]) Schmid, Att. IV 588.
[4]) Kapff p. 16.
[5]) Glatzel p. 10, 44.
[6]) Jaekel p. 48.
[7]) Jaekel p. 9.
[8]) Scham p. 30.

exitum admiserit. Ac nonnullis quidem locis clausularum usu id effectum esse apparet, velut his:

Demetr. 45 (IV 337, 22): *ἄν τις ἀπεικά|σαι τὰ Δημητρίου πράγματα,*

ubi facile rhythmum creticum intellegas vel

M. 779 B: *οὐκ ἂν οὕτω κατασκευάσαι,*

quibus in verbis idem rhythmus inest, vel

quaest. conv. VIII M. 732 E: *εἰκάσαι δ᾽ ἄν τις,*

ubi Plutarchus nescio an consulto hanc clausulam trochaicae *εἰκάσειε δ᾽ ἄν τις* praetulerit, similiter atque

Luc. 14 (II 512, 4): *εἴ τις ἐντεῖναι τὴν πολιορκίαν*

et

non posse suav. M. 1097 D: *δόξαν ἂν παραστῆσαι τὰ ῥήματα.*

Etiam his locis:

Pomp. 68 (III 260, 11): *ὅσας οὐκ ἄν τις ἀ|ριθμῆσαι μάχας*

comp. Dem. et Cic. 5 (IV 292, 15): *τὸν μὲν οἰκτεῖραι τις ἄν*

Demetr. 38 (IV 330, 1): *εἴθε . . τάχα μεταστρέψαι τις*

Plutarchum formis in *-αι* cadentibus clausulae gratia usum esse patet.

Reliquis quoque locis etsi clausula tam manifesta non est, tamen rhythmus orationis ad formarum delectum alicuius momenti videtur fuisse. Quo enim alio modo intellegere possumus, quod Plutarchus — ut exemplum afferam — in sententiis parentheticis semper locutionem *φῆσαι τις ἄν* (i. e. clausulam iambicam) usurpat (6 ies), in aliis autem enuntiatis et hanc (bis) et alteram formam (*φήσειεν ἄν τις*, i. e. clausulam trochaicam: bis) praebet?

Quae cum ita sint, Plutarchum haud paucis locis, ut varias usurparet formas, clausulis commotum esse non negabimus; quod idem apud Diodorum[1]) et Dionem Chrysostomum[2]) observatum est. Etiam in Latina oratione numerosa hanc rem inveniri nemo nescit; ut exemplum afferam, Cicero inter vocabulum 'nihil' et 'nil', inter 'prehendere' et 'prendere', inter 'dubitavisse' et 'dubitasse' sim. fluctuat[3]). —

[1]) Kapff p. 17.
[2]) Jaekel p. 10.
[3]) J. Wolff, de claus. Cicer. p. 663 sq.

Atque haec quidem de tertia persona singularis; in reliquis personis Plutarchus formis Aeolicis sine ulla fere exceptione utitur. Itaque secunda pers. sing. octies in *-ειας* cadit, bis in *-αις*:

θαυμάσαις M. 1062 B
ὑπομείναις M. 1098 B.

Similiter se habet Galenus, qui terminationem *-αις* duobus locis exhibet [1]). Alii scriptores, ut Dionysius [2]), Iosephus [3]), semper exitu *-ειας* utuntur, alii ut Aristides [4]) et Fronto [5]) alterum malunt. Plurimi autem inter hunc et illum fluctuant, velut praeter Plutarchum Dio Chrysostomus [6]), Aelianus, Lucianus [7]), Philostratus secundus [8]), Clemens [9]).

Haec quoque formarum varietas usu clausularum intellegi posse videtur ut apud Dionem et Philostratum II., ita apud Plutarchum; primo enim loco

comm. not. M. 1062 B: *τοῦτο δ' οὐκ ἂν μάλιστα θαυμάσαις αὐτῶν*

creticus *θαυμάσαις* melior quam ditrochaeus *θαυμάσειας* esse videtur propterea quod illo pede clausulam e quinque deinceps trochaeis formatam evitari apparet, quae numero poetico magis appropinquat quam ut ferri possit. Altero loco

non posse suav. M. 1098 B: *οὐκ ἂν αὐτῶν τὸν ὀλολυγ/μὸν ὑπομείναις καὶ τὸν θόρυβον*

clausulam trochaicam soluta priore arsi (◡◡◡ – ⏑̄) invenimus; forma *ὑπομείνειας* rhythmus spondiacus soluta prima longa (◡◡ – – ⏑̄) efficitur, cuius usus apud Plutarchum minus pervagatus est quam trochaici (cf. p. 33).

Tertia pluralis persona apud Plutarchum semper exitu

---

1) W. Schmidt, de Fl. Jos. el. p. 445.
2) Schroefel p. 28.
3) W. Schmidt l. l.
4) Semel *-ειας*, 16 ies *-αις*: Schmid, Att. III 31.
5) Crönert p. 213/214.
6) Jaekel p. 8.
7) Schmid, Att. III 31.
8) Jaekel p. 48.
9) Scham p. 29.

Aeolico terminatur; alterum exitum -αιεν nisi in libris subditis non invenimus, his locis

de lib. educ. M.* 6 C: διώξαιεν (quam formam non est quod cum Herchero in διώξειαν mutemus)

de parte an fac. an. affect. subi. Bern. VII p. 12, 10: δόξαιεν.

Qua in re Plutarchus omnes alios scriptores superat, cum Dionysium[1]), Diodorum[2]), Iosephum[3]), qui hic illic praeter Aeolicam formam Atticam praebent, tum Polybium[4]), Philodemum, Strabonem[5]), Aelianum, Aristidem[6]), qui semper fere formis in -αιεν desinentibus utuntur. Ne Dio quidem Chrysostomus terminationem -αιεν prorsus evitavit[7]); Clemens ut in secunda et tertia singularis, ita in hac persona terminationi Atticae favet[8]). Etiam una forma apud Philostratum tertium reperta exitum -αιεν praebet[9]).

6. Quae de aoristo secundo activi dicenda sunt, paucis absolvere possum, cum formae a classicorum sermone alienae δῴη et ἁλῴη una cum formis in -αίην vel -είην vel -οίην desinentibus supra (p. 38) tractatae sint. Itaque satis habeo commemorasse ceteros optativos omnes secundum Atticorum normam formatos esse, id quod praecipue in verba in -ω exeuntia cadit, quorum exitus iam a. IV. a. Chr. n. saeculo inter aoristum primum et secundum fluctuare constat[10]). Quae res apud Plutarchum in optativo saltem non observatur, cum unam formam ab hac lege abhorrentem

Ag. 20 (IV 125, 14): μόνον, ἔφη, συνενέγκαι ταῦτα τῇ Σπάρτῃ non Plutarcho, sed fonti, e quo Agesistratae illud hausit (Phylarcho?), tribuendam esse appareat. Contra in indicativo et

---

1) Schroefel p. 28: -αιεν quater, -ειαν 26 ies.
2) Kapff p. 18: -αιεν quater, -ειαν 11 ies.
3) W. Schmidt p. 445.
4) Kapff p. 18.
5) Glatzel p. 10, 44.
6) Crönert p. 213.
7) Jaekel p. 11.
8) Scham 29: -αιεν 11 ies, -ειαν quater.
9) Jaekel p. 83.
10) Kühner-Blass I 2 p. 104; Scham p. 33 adn. 1.

participio multae inveniuntur formae, quae ad aoristum primum deflexae sunt, velut

εἶπας: quom. ad. ab am. intern. M. 57 C
ἀπείπασθαι: aet. Rom. M. 276 F
εἰπάμενος: Alex. 50 (III 337, 12)
εὑράμενος: fac. in orbe lun. M. 926 A
ὑφήκατο: Sertor. 4 (III 91, 1) sim.

Quae consuetudo sermonis Plutarcho cum plurimis atticistis communis est [1]).

7. Optativus perfecti activi, qui in universum circumscribitur [2]), a Plutarcho haud ita raro (30 locis, in quibus 11 formae sunt verbi εἰδέναι) usurpatus est, ita ut intellegamus, quantum a sermone vulgari distet, e quo perfectum iam pridem prorsus evanuit [3]). Quod ut in usum revocent, etsi atticistae operam dant, tamen semper magnopere neglectum est; ne apud Dionysium quidem ullum exemplum forma εἰδείης excepta invenitur [4]). Quod idem dici potest de Philodemo, Strabone [5]), Dione [6]), Clemente [7]), Philostrato tertio [8]). Unus Philostratus II. complura (8) huius optativi exempla exhibet [9]).

Itaque Plutarchus hos omnes longe superat, et in promptu est, quantopere Atticorum usui appropinquare studuerit, quoniam hanc formam tam obsoletam renovavit.

Circumscriptus hic optativus quattuor tantum locis est:

sept. sap. conv. M. 147 B: εἴης ἑωρακώς
Alex. 27 (III 310, 18): εἴη διαπεφευγώς
Alex. 60 (III 347, 14): εἴη διαβεβηκώς
Dion. 21 (V 17, 18): εἴη γεγονώς.

---

[1]) Schroefel p. 32/33; Schmid, Att. II 31; III 40, 44; IV 38, 602 sq.

[2]) Kühner-Blass I 2 p. 98/99. Locos optativi perf. a classicis circumscripti collegit: Harry, Class. Rev. XIX (1905) p. 352/353.

[3]) K. Dieterich, „Untersuch. z. Gesch. d. gr. Sprache v. d. hellenist. Zeit b. z. 10. Jahrh. n. Chr.“ Byzant. Archiv Heft 1 (1898 Leipz.) p. 153, 235.

[4]) Schroefel p. 24.

[5]) Glatzel p. 6, 41.

[6]) Jaekel p. 5.

[7]) Scham p. 24.

[8]) Jaekel p. 82.

[9]) Jaekel p. 46/47.

Optativus perfecti medii et passivi semper participio perfecti cum εἴην coniuncto circumscriptus est; invenitur autem optativus perfecti medii quinquies:

Lyc. 28 (I 111, 14): εἴη ἐνειργασμένη
Alc. 4 (I 379, 32); Mar. 8 (II 336, 2); Alex. 27 (III 310, 21); Alex. 73 (III 359, 30)

optativus perfecti passivi quater:

Lyc. 24 (I 107, 11): εἴη προστεταγμένον
M. 161 B; M. 259 F; M. 586 A.

Unum autem locum inveni quo optativus perfecti medii non circumscriptus videtur esse:

C. Gracch. 4 (IV 189, 27): δύο νόμους εἰσέφερε, τὸν μὲν εἴ τινος ἄρχοντος ἀφῃρῇτο τὴν ἀρχὴν ὁ δῆμος, οὐκ ἐῶντα . . . τὸν δὲ εἴ τις ἄρχων . . . ἄκριτον ἐκκεκηρύχοι πολίτην, κατ' αὐτοῦ διδόντα.

Codices autem hoc loco ἀφῄρητο praebent, quod Sintenis propter optativum insequentem ἐκκεκηρύχοι in ἀφῃρῇτο facile mutavit; etiam Ziegler optativum contra Cobetum in textum recepit [1]). Tamen dubito probabilisne sit haec correctio, cum eiusdem formae nullum aliud exemplum in Graeca lingua inveniatur, ut Sintenis-Fuhr monent [2]). Quamquam sunt verba quaedam, quorum coniunctivus et optativus perfecti medii vel passivi satis saepe non circumscribatur [3]), velut κεῖμαι κάθημαι μέμνημαι κέκτημαι sim. Sed hoc in numero verbum αἱρεῖν non est; neque Plutarchum secundum illa exempla optativum singularem et illis temporibus paene inauditum conformavisse temere crediderim, immo vero eum in hac constructione modorum congruentiam non servavisse, id quod pluribus locis observamus, velut his:

Crass. 11 (III 52, 29): εἰπών, ὅτι νικῶν μὲν ἔχοι . ., ἡττώμενος δ' οὐ δεῖται

---

[1]) In Tib. et C. Gracch. (1911 Heidelberg) p. 34, 7.
[2]) Cf. Ag. et Cleom. Tib. et C. Gracch. (1882 Berlin) p. 146 adn.
[3]) O. Pohl, de enuntiationibus optativis Graecorum (1875 Breslau) p. 19; La Roche p. 162 sq.; Harry, the perf. subj. opt. and imper. in Greek (Class. Rev. XIX [1905] p. 352).

Sol. 27 (I 183, 26): ἀλλόκοτος ἐδόκει εἶναι .. εἰ μὴ .. ποιεῖται .., ἀλλὰ .. ἀγαπῴη

Aem. Paul. 34 (II 74, 28): πλὴν εἴ τι δαιμόνιον .. εἴληχεν .. μιγνύναι τὸν ἀνθρώπινον βίον, ὅπως .. ἄκρατος εἴη .., ἀλλὰ .. δοκῶσι

Timol. 9 (II 9, 8); Art. 8 (V 112, 9); tuend. san. M. 123 A; def. orac. M. 417 E.

Quae res etsi satis raro in Plutarchi libris reperitur — apud alios scriptores ut Thucydidem in maiore usu est et orationem colore singulari afficit — tamen etiam verba supra allata concinnitate carere arbitror, ita ut correctione quamvis facili opus non esse videatur.

8. Iam pergamus ad formas quasdam optativi aoristi II. med. verborum in -μι desinentium, quae quamquam a grammaticorum praeceptis abhorrent, tamen iam apud scriptores classicos etsi rarius observantur.

Haec enim verba paulatim esse emortua inter omnes constat, quam ad rem multum contulit quod secundum verba in -ω desinentia flecti coepta sunt [1]); atticistae autem in usum revocare et secundum Atticorum normam conformare student [2]).

Inveniuntur apud Plutarchum 365 optativi verborum in -μι cadentium inter 1994 optativos; conspicimus igitur hanc rationem:

365 : 1994 = 1 : 5, 46.

Eadem fere ratio apud Dionysium (1 : 5, 6) [3]) et Dionem (1 : 5, 39) [4]) observatur; alia apud Diodorum (1 : 4, 38) et Philodemum (1 : 3, 84) [5]) est, unde apparet illos hac in re sermoni vulgari magis appropinquare quam Diodorum et Philodemum. Ne apud Philostratum II. quidem verba in -μι cadentia in maiore usu esse mirum videtur; haec ratio in 'vita Apollonii' est [6]):

opt. verb. in -μι cad.: omn. opt. = 1 : 6, 9.

---

1) Schmid, Att. IV 605; Dieterich p. 216; Thumb p. 249; Blass² p. 50.
2) Schmid, Att. I 52; IV 595, 605; Mann p. 8.
3) Schroefel p. 33.
4) Jaekel p. 4.
5) Schroefel l. l.
6) Jaekel p. 46.

Quos omnes Clemens unus superat, cum apud hunc inter 689 optativos 214 formae verborum in -μι exeuntium reperiantur (= 1 : 3, 2)[1].

Optativus horum verborum secundum praecepta grammaticorum a Plutarcho conformatus est octo locis exceptis, quibus secundum verba in -ω exeuntia et verba contracta flectitur; qui sunt

Pomp. 16 (III 203, 32): πρόσθοιτο
Demosth. 30 (IV 236, 16): προσθοῖτο
Pomp. 54 (III 245, 21): κατάθοιτο[2]
M. 1070 D: ὑπόθοιτο
M. 411 C: ὑποθοῖτο
M. 935 E: ὑποθοίμεθα
Caes. 22 (III 386, 13): ἐπιθοῖντο
M. 867 B: ὑπεκθοῖντο.

Quae formae etsi iam apud veteres reperiuntur scriptores[3], tamen multo magis posteriorum lingua ad dipthongum οι videtur deflexisse. Itaque mirum non est Diodorum — ut nonnulla alia afferam exempla — novem tales formas inter 57 optativos verborum in -μι desinentium exhibere; similiter se habent Polybius, Philo[4], Strabo[5], Iosephus, Aristides[6]; ne Dionysius quidem aspernatus est[7]. Posteri quoque atticistae nonnulla exhibent exempla, ut Dio Chrysostomus et Philostratus secundus[8]. Unus Philodemus et Ps.-Longinus talibus formis carent[9], quas ne usurparet etiam Clemens cavit[10].

Octies igitur Plutarchus has formas admisit; ceteris locis optativos diligenter secundum Atticorum normam conformatos esse iam supra dixi.

[1]) Scham p. 22.
[2]) Reg. et imp. apopth. M.* 204 D: καταθοῖτο.
[3]) Kühner-Blass I 2 p. 190; Veitch[3] p. 564. 565; La Roche p. 178—181.
[4]) Kapff p. 19.
[5]) Glatzel p. 45.
[6]) Crönert p. 218 adn. 5.
[7]) duobus locis. Cf. Schroefel 34.
[8]) Bina exempla affert Jaekel p. 12, 49.
[9]) Glatzel p. 97.
[10]) Scham p. 35.

Restat ut pauca de formarum accentu addam. Quem fluctuare in vulgus notum est, cum prima persona singularis et pluralis excepta et in syllaba paenultima et in antepaenultima ponatur. Quam quaestionem facile diiudicari non posse mirum non est, praesertim cum grammatici antiqui nihil de hac re tradiderint; praeterea uterque accentus causis non contemnendis defendi potest. Itaque nostrae quoque aetatis viri docti inter se non consentiunt; alii [1]) formas illas properispomena quae dicuntur, alii [2]) autem proparoxytona esse censent.

Quae cum ita sint, optimum videtur esse lectionem traditam codicum unoquoque loco servare; unde efficitur ut Plutarchus aeque atque ceteri scriptores Graeci diversum in his formis accentum admiserit.

Haec fere de optativi formis, quae apud Plutarchum reperiuntur, erant dicenda. Quae si omnia complectimur, statuendum est eum Atticorum normam sequi fere studuisse; i. e. eandem quam atticistae rationem ingreditur, quin etiam plurimos eorum superavit non modo diligentia qua in optativo conformando utitur, ut incorruptae Attici sermonis integritati appropinquet, sed etiam eo quod omnes optativi formas, quae apud classicos in usu erant, postea autem evanescebant, denuo in lucem protulit, ut optativum futuri et perfecti, quorum utrumque atticistis non nimis usitatum fuisse supra expositum est. Neque vero silentio praetereundum est hic illic vestigia sermonis vulgaris apparere, sed tam raro, ut sententia modo prolata vix mutanda esse videatur, praesertim cum talia orationis vitia ab omnibus atticistis esse admissa constet [3]).

Itaque Plutarchus in optativo conformando e duobus quasi fontibus videtur haurire; neque vero par auctoritas eorum est, cum alter, lingua vulgaris, ab eo magnopere repressus neque ullius fere momenti sit, alterum autem dicendi genus, Atticorum norma, longe maximam ad eum vim habuerit. Ex quo effici-

---

[1]) Kühner-Blass I 2 § 281 adn. 1; Krüger [5], „Griech. Sprachlehre" (1875) I p. 129.

[2]) Buttmann, „Ausführl. griech. Sprachlehre" (1830 Berlin) § 107 adn. 35; Matthiae, „Ausführl. griech. Gramm." (1835) I p. 486.

[3]) Schmid, Att. IV 579.

tur, ut in atticistarum numero referendus sit neque postremum inter hos obtineat locum. Quocum congruit quod ceteris quoque rebus pariter atque atticistae classicorum elocutionem ad imitandum sibi proponit[1]. Quamquam non tantum progreditur quantum multi alii atticistae, quorum genus dicendi nimia imitatione Atticorum artificiosum et quasi exsangue videtur esse; immo vero tales scriptores irridet, quorum verba quasi in tenebris latent neque intellegenda sunt, nisi ab aliis in lucem proferantur[2]. In optativi autem usu eum ex Atticorum consuetudine sermonis omnibus rebus pendere vidimus; similiter in delectu verborum se habet[3], ita ut magis quam ipse fatetur, atticismo faveat.

Idem de hiatu ab eo vitato dici potest; etsi enim identidem nimiam hiatus evitandi diligentiam irridet (cf. M. 350 E et M. 534 F), tamen ipse hanc legem sequitur adeo, ut multos aequalium longe superet[4], id quod ad cognoscendam huius scriptoris elocutionem maximi esse momenti constat.

Pars II.

Quoniam de formarum apud Plutarchum usu disputavi, sequitur ut dicam

de syntaxi.

Videamus igitur, quomodo in contextu orationis Plutarchus optativo usus sit.

Ac primum quidem dicam

A. de optativo in sententiis primariis usurpato, cuius duo sunt genera, optativus purus et optativus cum *ἂν*

---

[1]) Weissenberger p. 4 sq.; R. Ieuckens, „Plut. v. Chaeronea u. d. Rhetorik“ (1907 Strassburg) cap. III: Plutarchs Stellung zum Attizismus.

[2]) Cf. Isid. Pelus. ep. IV 91: *τί τὸ κέρδος ἐκ τοῦ ἀττικίζειν, ὅταν τὰ λεγόμενα ὥσπερ ἐν σκότῳ κρύπτηται καὶ ἄλλων δέηται τῶν εἰς φῶς αὐτὰ ἀξόντων;*

[3]) Weissenberger p. 11; Ieuckens p. 56/57.

[4]) Weissenberger p. 19.

particula coniunctus. Quorum in priore, optativo puro, duplex inest significatio, et concessiva et desiderativa. Atque concessivus quidem optativus apud Plutarchum nunquam invenitur, neque id mirum est, cum iam a classicis scriptoribus valde sit neglectus.

Transeamus igitur ad alteram optativi puri significationem, i. e. ad

optativum optantis

quem fontem et caput ceterorum optativi generum fuisse et nomine ipso huius modi — a grammaticis *ἔγκλισις εὐκτική*[1]) vel *εὐχωλή*[2]) appellati — demonstratur et viri docti nostrae aetatis comprobaverunt[3]); quam sententiam iam a grammaticis antiquis in medium prolatam esse Apollonius Dyscolus nos docet, qui in libro *περὶ συντάξεως* inscripto dicit (III 94 ed. Uhlig 1910 Lips.): *ὁμοίως δὲ καὶ ἡ εὐκτικὴ ἔγκλισις ἀπὸ τῆς γινομένης εὐχῆς κατὰ παραγωγὴν τῆς κλήσεως ἔτυχεν.*

Inveniuntur apud Plutarchum in sententia primaria 39 optativi desiderativi, quorum 19 in vitis parallelis, 20 in scriptis moralibus sunt.

Profero haec exempla

a) optativi praesentis (11 loc.):

Brut. 50 (V 98, 17): *τοιούτων δ' ἀνδρῶν φίλων τυγχάνοιμι μᾶλλον ἢ πολεμίων*

mul. virt. M. 260 B: *ταῦτα σὺ μὲν εὐτυχοίης λαβών*

---

[1]) Dionys. Thrac. ars gramm. p. 47, 3 (Uhlig): *ἐγκλίσεις μὲν οὖν εἰσι πέντε, ὁριστική, προστακτική, εὐκτική, ὑποτακτική, ἀπαρέμφατος.*

[2]) Diog. Laërt. IX 53: *διεῖλέ τε* (sc. *Πρωταγόρας*) *τὸν λόγον πρῶτος εἰς τέτταρα, εὐχωλήν, ἐρώτησιν, ἀπόκρισιν, ἐντολήν.* — Suid. s. v. *Πρωταγόρας.* — Quint. inst. III 4, 10.

[3]) F. Bopp, „Vergleich. Gramm. . . .“ § 670; Delbrück, Syntakt. Forsch. I (1871 Halle) p. 13, 25; Westphal, „D. indog. Verb.“ (1873 Jena) p. 417 sq.; O. Pohl, de enuntiationibus optativis Graecorum (1875 Vratisl.) p. 7/8; Earle, Class. Rev. XIV (1900) p. 123; Mutzbauer, „D. Grundbed. d. Konj. u. Opt. . . .“ (1908 Lpzg.) p. 150, 255. — Contra Vandaelius (praef. p. 6 sq.) potentialem esse priorem censet.

E fonte communi manavisse desiderativum et potentialem optativum censet Rodenbusch, Indog. Forsch. 24 (1909) p. 181—188.

Thes. 1 (I 1, 21): *εἴη μὲν οὖν ἡμῖν . . ὑπακοῦσαι*
Brut. 40 (V 87, 30); soll. anim. M. 983 E; Is. et Os. M. 357 E

Pyrrh. 14 (II 300, 29): *θεὸς . . νικᾶν διδῴη*
Pyrrh. 20 (II 309, 14)

Alex. 30 (III 314, 20): *μάλιστα μὲν ἐμοὶ διδοίητε*
Dio 43 (V 37, 31)
fac. in orbe lun. M. 935 D

b) optativi aoristi (28 loc.)

gen. Socr. M. 583 F: *μηδέποτε τοιαύτην ἐπίδοιμι μετακόσμησιν*
praec. reip. ger. M. 812 A
Arist. 2 (II 163, 8)
= praec. ger. reip. M. 807 B

cohib. ira M. 462 C: *ἀπολοίμην*
= frat. am. M. 489 D

Ages. 12 (III 155, 26): *εἴθε . . φίλος ἡμῖν γένοιο*
gen. Socr. M. 597 C
amat. M. 760 D

Lyc. 20 (I 103, 31): *μὴ γένοιτο . . ἐνταῦθα καθίσαι*[1])
Crass. 2 (III 41, 14); Dio 20 (V 17, 6)

aud. poet. M. 22 A: *τοιαύτη σοι θυγάτηρ γένοιτο*
= de superstit. M. 170 B

ad. ab am. intern. M. 67 F: *μὴ γένοιτό σοι οὕτως . . κακῶς*
= Al. fort. II M. 334 D
= quaest. conv. II M. 634 D[2])

Alex. 30 (III 314, 26): *μηδεὶς ἄλλος ἀνθρώπων καθίσειεν εἰς τὸν Κύρου θρόνον*
= Al. fort. II M. 338 F
Ag. 20 (IV 125, 14); Demetr. 38 (IV 330, 1);
Brut. 50 (V 98, 6);
an seni resp. ger. sit M. 792 C[3])
Cic. 26 (IV 263, 16)[4])

---

[1]) Idem dictum est in 'apopth. Lac.' M.* 232 F.
[2]) = reg. et imp. apopth. M.* 179 B.
[3]) = reg. et imp. apopth. M.* 176 A.
[4]) = reg. et imp. apopth. M.* 205 B.

Phoc. 9 (IV 8, 31): *σωθείητε . ., ὦ μακάριοι*
mul. virt. M. 252 C: *μήτ' ἐκεῖνοι κακῶς οὕτω φρονήσειαν*
Pelop. 18 (II 101, 23).

Uno loco Plutarchus optativum desiderativum in enuntiato secundario usurpavit:

gen. Socr. M. 588 A: *ἃ νὴ Δία πάντα τρέψειαν εἰς αὐτὴν ἐκείνην θεοί.*

Cum autem pronomen relativum in hoc enuntiato demonstrativi vice fungi appareat, hoc exemplum ceteris supra enumeratis addere non dubitabimus.

His igitur 40 locis Plutarchus optativo optandi usus est; quos si intuemur, primo iam aspectu eum nulla re a ceterorum usu scriptorum differre apparet. Semper enim in his enuntiatis structuram usitatissimam optativi puri invenimus, cui particula optativa — ab Apollonio Dyscolo *ἐπίρρημα εὐκτικόν* nominata [1]) — addita est his locis:

Ages. 12 (III 155, 26): *εἴθε . . φίλος ἡμῖν γένοιο*
Demetr. 38 (IV 330, 1): *εἴθε γὰρ . . μεταστρέψαι τις ἐπὶ ταῦτα καὶ μεταβάλοι θεῶν ἢ ἀνθρώπων τὸ πάθος.*

Ex quo Plutarchum nulla alia nisi particula *εἴθε* usum esse intellegitur; itaque coniecturam Hercheri, qui

conv. VII sap. M. 150 E: *εἴ γ', εἶπεν, εἰδείης . . τοὺς νῦν αὐλοποιούς*

εἴ γε in *εἰ γάρ* mutavit, non accipiemus, praesertim cum in enuntiato notio condicionalis, non desiderativa insit [2]).

Tempus optativorum, quibus scriptor in his enuntiatis utitur, plerumque aoristus est, quem 29^{ies} invenimus; optativus praesentis 11 tantum locis positus est.

Negationes enuntiationum optativarum semper *μὴ* vel aliae particulae cum *μὴ* coniunctae, velut *μήτε μηδέποτε*, sunt.

Ex his omnibus Plutarchum in usu huius optativi classicorum exemplum secutum esse cognoscimus et de industria a sermone vulgari recessisse, e quo optativus optantis paucis formulis

---

[1]) *περὶ συντάξεως* III 94 Uhlig.
[2]) Cf. infra.

exceptis prorsus fere evanuit, praesertim cum locum eius imperativus occuparet, id quod multis Novi Testamenti locis — ut exemplum afferam — demonstratur; Paulus unus hoc optativi genere haud raro utitur, ita autem ut inter 29 exempla 14ies formula μὴ γένοιτο inveniatur [1]. Multo rarius quam hic optativum optantis Diodorus [2], Philodemus [3], Strabo [4] exhibent. Contra in papyris optativi desiderativi usus late videtur patere, ut in chartis Aegyptiis, in quibus non minus 110 exempla reperiuntur; hi autem optativi maxima e parte in certis locutionibus saepius repetitis usurpati sunt; quas si praetermittimus, optativum paucis pro permagno chartarum numero locis esse positum videmus [5]. Quod idem in optativi optantis apud patres apostolicos usum cadit [6].

Aliter atticistae se habent, qui hunc optativum renovare student, velut Dionysius, qui 19 tales optativos (= 1, 47 inter cent. opt.) praebet [7], Clemens Alexandrinus (11 exempla, i. e. 1, 6 in cent. opt.) [8], Philostratus secundus (35 exempla, i. e. 4, 3 inter cent. opt.) [9]. Minor numerus exemplorum apud Dionem est (10, i. e. 0, 9 per cent. opt.) [10]. Itaque Plutarchus, qui 40 optativos optantis exhibet (i. e. binos inter centenos optativos) hac quoque in re medium obtinet locum inter Dionysium et Philostratum secundum; ex quo cognoscimus eum viam eandem quam atticistas ingressum et Dionysii studium huius optativi amplificandi persecutum esse.

Restat ut commemorem optativum desiderativum a Plutarcho nonnullis locis circumscriptum esse formis βουλοίμην vel ἐθέλοιμι ἂν cum infinitivo coniunctis; sunt hi loci:

---

[1] Moulton, „Einl. in d. Sprache d. N. Testam." (1907 Heidelberg) p. 307.

[2] semel: Kapff p. 20.

[3] bis: Glatzel p. 11.

[4] semel: Glatzel p. 45/46.

[5] Harsing p. 27/28.

[6] Reinhold p. 109/110.

[7] Schroefel p. 35.

[8] Scham p. 38, 144.

[9] Jaekel p. 50.

[10] Jaekel p. 13.

Luc. 27 (II 531, 7): *βουλοίμην ἂν . . γενέσθαι τι τῷ σῷ δαίμονι τῶν παραλόγων*

de superst. M. 169 F: *ἔγωγ' οὖν ἂν ἐθέλοιμι μᾶλλον ἀνθρώπους λέγειν περὶ ἐμοῦ . . .*

Semel haec circumscriptio in libello non genuino legitur:

de lib. ed. M.* 8 E: *ἐγὼ γὰρ μάλιστ' ἂν βουλοίμην πᾶσι κοινῇ χρήσιμον εἶναι τὴν ἀγωγήν.*

Etiam circumscriptio haec e classicorum sermone petita et ab atticistis velut Dionysio[1]) in usum revocata est.

Haec fere de optativo desiderativo in Plutarchi scriptis usurpato dicenda sunt.

Priusquam autem ad alteram huius capitis partem progrediamur, forma quaedam mihi commemoranda est, quae etsi optativa forma videtur esse, tamen nihil aliud nisi interiectio cohortativa est, dico particulam *εἶεν*. Erant enim, quin etiam sunt viri docti, qui *εἶεν* (sc. *ταῦτα*) optativum concessivum esse et cum formā Latina 'esto' comparari posse censeant[2]). Quam rem eos fefellisse iam pridem demonstratum est[3]); particula *εἶεν* idem fere significat quod *εἶα* vel *εἶα* et particula Latina 'agedum' verti potest[4]); duae igitur formae simul exstant, aeque atque *εἶτεν* et *εἶτα*, *ἔπειτεν* et *ἔπειτα*. Iam grammatici antiqui *εἶεν* esse particulam recte cognoverunt[5]); praeterea autem *εἶεν* Atticorum esse proprium putantes pro particula hellenistica *ἄγε δὴ* usurpandum esse docuerunt (cf. Moer. p. 195, 24 Bekk.: *εἶεν Ἀττικῶς. ἄγε δὴ Ἑλληνικῶς*). Accedit quod, si Graecos simul cum *εἶεν* audivisse *ταῦτα* opinamur, eos semper tertiam personam pluralis, ne uno quidem loco tertiam personam singularis *εἴη* cum *ταῦτα* coniunxisse nimis mirum videtur.

---

[1]) Schroefel p. 35.

[2]) Fränkel, Inschr. v. Pergamon II (1895) nr. 587; Vandaele p. 71—75.

[3]) Buttmann, „Ausführl. gr. Sprachlehre" p. 528; Kühner-Gerth II 1 § 395 adn. 3; B. Keil, Berl. phil. Wochenschr. 1896 p. 1607; Brugmann, Gr. Gramm. p. 536; Methner, „D. Grundbed. u. Gebrauchstypen d. Modi im Griech." (1908 Bromb.) p. 23.

[4]) Exemplum luculentum est in Aesch. Eum. v. 244 (Weckl.).

[5]) Bekker anecd. Gr. p. 1372 s. v. *ἔπειτεν*.

Invenimus hanc interiectionem apud Plutarchum his 9 locis:

M. 148 E; M. 332 C; M. 557 F; M. 580 C; M. 582 D; M. 762 D; M. 965 E; M. 991 D; M. 1107 F.

2. Sequitur altera huius capitis pars, quae est

de optativo potentiali

in enuntiatis primariis usurpato.

Qui optativus in Plutarchi libris non minus 457 locis invenitur; additis autem iis, qui in enuntiatis secundariis et in constructionibus condicionalibus leguntur, numerus optativorum potentialium 661 est. Quam ingentem copiam hoc loco enumerare longum est; satis habeo exempla nonnulla quae apta mihi videntur, quibus usus huius optativi apud Plutarchum illustretur, protulisse.

Itaque ex infinita exemplorum multitudine afferantur haec

a) optativi potentialis in sententiis enuntiativis usurpati (350 loc.):

α) opt. praes. act. (68 loc.):

Arat. 24 (V 157, 16): *ἐγὼ δὲ . . φαίην ἂν*
coni. praec. M. 143 F: *ἂν φαίης*
frat. am. M. 486 E: *ἂν*[1]) *φαίη τις εὖ φρονῶν*
Lyc. 19 (I 102, 18): *οὐκ ἂν εἴη ἀτείχιστος πόλις*
Stoic. rep. M. 1052 F: *αὐτάρκεις δὲ μὴ ὄντες οὐκ ἂν εἶεν εὐδαίμονες*
praec. reip. ger. M. 802 C: *οὐκ ἂν εἰδείη τις*
comm. not M. 1084 A: *οὐκ ἂν ἔχοι τις εἰπεῖν*
Is. et Os. M. 377 A: *σεβόμενοι καὶ τιμῶντες οὐκ ἂν ἁμαρτάνοιμεν*
invid. et od. M. 538 E: *οὐκ ἂν ἐθέλοιεν*

β) opt. praes. med. (7 loc.):

praec. reip. ger. M. 822 E: *αἰσχυνοίμην ἂν ὑμῖν μὲν ἐπιδιδούς*

---

[1]) *ἂν* inseruit Madvigius (post *οὖν*); Reiskius *φαίη τις ἂν εὖ φρονῶν* scribi voluit.

Mar. 46 (II 382, 10): *καὶ τὸ μὲν ἂν ἡ τύχη κωλῦσαι δύναιτο*

γ) opt. praes. pass. (3 loc.):

ex. inim. util. M. 91 F: *οὐ μετρίως ἄν τις ὠφελοῖτο*

δ) opt. aor. act. (202 loc.):

Demosth. 22 (IV 228, 9): *ἐγὼ δὲ . . οὐκ ἂν εἴποιμι*
comp. Thes. et Rom. 1 (I 74, 4): *οὐκ ἂν εἴποι τις*
es. carn. I M. 993 D: *ἀλλ' εἴποιεν ἂν*
def. or. M. 417 C: *φήσαιμ' ἂν*
quaest. conv. II M. 635 D: *φήσαι τις ἂν*
non posse suav. M. 1092 A: *καίτοι φήσειεν ἄν τις*
Cam. 22 (I 274, 16): *οὐκ ἂν οὖν θαυμάσαιμι*
cup. div. M. 524 A: *ἔτι μᾶλλον θαυμάσειεν ἄν τις*
Phoc. 1 (IV 1, 10): *δόξειεν ἂν ἀληθὲς εἶναι*
Demetr. 45 (IV 337, 22): *ταύτῃ μᾶλλον ἄν τις ἀπεικάσαι τὰ Δημητρίου πράγματα*
inv. et od. M. 538 E: *συμφορὰς δ' ἀνηκέστους οὐκ ἂν προσβάλοιεν*

ε) opt. aor. med. (55 loc.):

Cat. mai. 5 (II 201, 3): *ἐγὼ μὲν οὖν οὐδὲ βοῦν ἂν ἐργάτην διὰ γῆρας ἀποδοίμην*
Cleom. 31 (IV 156, 2): *καλὸν μεντἂν αὐτῇ θέαμα γένοιτο*
r. rat. aud. M. 45 B: *μέμψαιτο δ' ἄν τις Ἀρχιλόχου μὲν τὴν ὑπόθεσιν*
amat. M. 760 E: *ἀλλ' ἡδέως ἂν πυθοίμεθα*

ζ) opt. aor. pass. (14 loc.):

coh. ira M. 463 C: *οὐκ ἂν ἔτι δυνηθείην*
comm. not. M. 1085 A: *ἄν τις . . μᾶλλον διανοηθείη*
quaest. conv. I M. 614 E: *οὐδὲν ἂν . . ἐπιεικέστεροι . . φανεῖεν*

η) opt. perf. med. (1 loc.):

Lyc. 28 (I 111, 14): *ἡ δὲ καλουμένη κρυπτεία . . ταύτην ἂν εἴη . . ἐνειργασμένη δόξαν*

b) optativi potentialis in quaestionibus directis usurpati (107 loc.):

α) opt. praes. act. (30 loc.):

Sull. 1 (II 417, 27): *καὶ πῶς ἂν εἴης σὺ χρηστὸς . .;*

comm. not. M. 1071 F: τί ἂν[1]) φαίης μᾶλλον εἶναι . .;
Alex. fort. II M. 338 B: καὶ τί ἂν περὶ τούτων λέγοι τις . .;

β) opt. praes. med. (4 loc.):

de garr. M. 503 F: τίς ἄν, ἔφη, δύναιτο . . σιωπᾶν;
Lyc. 19 (I 102, 16): πῶς ἂν πολεμίων ἔφοδον ἀλεξοίμεθα;

γ) opt. praes. (2 loc.):

ex inim. util. M. 86 B: πῶς ἄν τις ὑπ' ἐχθρῶν ὠφελοῖτο;

δ) opt. aor. act. (42 loc.):

Demetr. 38 (IV 329, 28): εἶτα οὐκ ἂν . . ἐπιδοίης . . τῷ ἐμῷ παιδὶ . . . τὸν γάμον . .;
Per. 13 (I 314, 32): καὶ τί ἄν τις ἀνθρώπους σατυρικοὺς . . θαυμάσειεν . .;
Alex. fort. I M. 330 F: τίς οὐκ ἂν εἴποι . .;
tranqu. an. M. 476 C: τί ἂν τούτῳ χαλεπὸν . . ἐμπῖπτον ἐπινοήσαιμεν;
Alex. 60 (III 347, 2): ἆρά γε πιστεύσαιτε ἂν . .;
bruta rat. uti M. 986 B: πῶς γὰρ ἂν ἢ δοῖεν οὗτοι λόγον ἢ λάβοιεν . .;

ε) opt. aor. med. (22 loc.):

VII sap. conv. M. 155 E: σὺ δ' οὐκ ἄν, ἔφη, διαπέμψαιο δεῦρο τὸ ποτήριον . .;
Lyc. 15 (I 97, 15): πῶς δ' ἂν γένοιτο βοῦς τηλικοῦτος;
amat. M. 768 E: τίς ἂν[2]) ἀνάσχοιτο τῶν τὴν Ἀφροδίτην λοιδορούντων . . .;

ζ) opt. aor. pass. (7 loc.):

def. or. M. 425 E: καὶ μὴν τά γ' ἄλλα τῶν Στωϊκῶν τίς ἂν φοβηθείη . .;
Stoic. rep. M. 1052 C: τίς ἂν οὖν ἐναντιώτερα λέγων ἑαυτῷ φανείη . .;

---

[1]) Codices: πᾶν; Madvigius correxit.
[2]) ἂν add. Bernardakis.

B. Transeamus nunc ad optativum in enuntiatis secundariis usurpatum, ac primum quidem

1. ad optativum potentialem,

qui in his sententiis 131ies exstat. Singulas sententias si inspicimus, invenitur

a) in sententiis enuntiativis, i. e. e coniunctionibus ὡς vel ὅτι pendentibus, 22 locis, velut his:

α) opt. praes. (5 loc.):

Dio 23 (V 20, 7): λογιζομένους, ὅτι παρηκμακὼς ἀνὴρ . . οὐκ ἂν ἐπιχειροίη παραβόλοις πράγμασι

frat. am. M. 481 E: ὀρθῶς ἡ Περσὶς εἶπεν . ., ὅτι παῖδας μὲν ἑτέρους κτήσασθαι δύναιτ' ἄν, ἀδελφὸς δ' ἄλλος αὐτῇ . . οὐκ ἂν γένοιτο

r. rat. aud. M. 38 C: ἐπεὶ ὅτι γε . . ὁ νέος . . οὐ μόνον . . ἀβλαστὴς διαμενεῖ πρὸς ἀρετήν, ἀλλὰ καὶ διαστρέφοιτ' ἂν [1]) πρὸς κακίαν, . . δῆλόν ἐστι

β) opt. aor. (17 loc.):

quaest. conv. I M. 623 A: εἶπεν, ὡς οὐ χεῖρον ἄν τις ἐπιχειρήσειεν

Cat. min. 15 (IV 49, 1): φήσας, ὅτι πᾶσα δωροδοκία προφάσεως ἂν εὐπορήσειεν, οἱ δὲ φίλοι μεθέξουσι

Them. 5 (I 224, 11): εἰπεῖν . ., ὡς οὐδ' ἐκεῖνος ἂν γένοιτο ποιητὴς ἀγαθὸς

quaest. conv. IV M. 661 D: ἔχω εἰπεῖν, ὅτι μᾶλλον ἂν ἐκ λόγων ὑπεναντίων γένοιτ' ἂν πίστις

b) in sententiis relativis 75 locis; affero hos:

α) opt. praes. (8 loc.):

Arist. et Cat. Mai. comp. 2 (II 229, 19): ᾧ δικαιότερον ἄν τις . . τὸ μηδὲν παθεῖν παρ' ἀξίαν ἀνατιθείη

non posse suav. M. 1105 B: οἱ δὲ καὶ δεδιότες τελετάς τινας αὖ πάλιν καὶ καθαρμοὺς οἴονται βοηθεῖν, οἷς ἁγνισάμενοι διατελοῖεν ἂν [2]) ἐν ᾅδου παίζοντες καὶ χορεύοντες

---

[1]) ἂν inseruit Hercher.

[2]) Postquam Duebner e codicum lectione διατελεῖν optativum restituit,

quaest. conv. VII M. 708 D: *αὐτὸν παρακαλεῖν ἐκείνων, οἷς ἂν ἥδιστα συγγίνοιτο καὶ μεθ' ὧν εὐφραίνεται παρόντων, μάλιστα τούτους ἄγειν οὐκ ἀηδὲς οὐδ' ἄτοπον*

β) opt. aor. (54 loc.):

Rom. 18 (I 57, 1): *τοῦ Διὸς τοῦ Στάτορος . . ὃν ἐπιστάσιον ἄν τις ἑρμηνεύσειεν*

aet. Rom. M. 289 B: *Τύχην πριμιγένειαν, ἣν ἄν τις εἴποι πρωτογένειαν*

fac. in orbe lun. M. 932 C: *ἐκείνοις γὰρ μόνοις ἔκλειψίς ἐστιν, ὧν ἂν ἡ σκιὰ τῆς σελήνης καταλαβοῦσα τὴν ὄψιν ἀντιφράξαι*[1]) *πρὸς τὸν ἥλιον*

Rom. 7 (I 41, 12): *ἃ γένοιτ' ἂν ὕστερον ἀνωφελῆ γνωρίσματα*

praec. reip. ger. M. 811 E: *στεφάνους, ὧν συρφετὸν ἄν τις ἡγήσαιτο τοὺς πλείστους*

Pomp. 13 (III 200, 29): *ὅθεν εἰκότως ἀγασθείη καὶ θαυμάσειεν ἄν τις τοὺς πάλαι Ῥωμαίους.*

His enuntiatis relativis adiungenda sunt ea, in quibus potentialis optativus ex adverbiis quibusdam relativis, quae comparationem indicant, pendet; affero haec (13 ex.):

α) opt. praes. (3 loc.):

Fab. Max. 18 (I 362, 18): *ὡς ἄν τις αἴσχιστα . . πεπραχὼς ἐπανίοι*

β) opt. aor. (10 loc.):

Cat. Mai. 19 (II 216, 23): *ὡς ἄν τις μεταφράσειε τὴν ἐπιγραφήν*
aet. Gr. M. 292 A: *ὡς ἄν τις εἰκάσειε*
aquane an ign. M. 956 F: *ὡς ἄν τις εἴποι*

---

van Herwerden (Mnem. vol. 37 [1909] p. 218) *ἂν* particulam ante *ἁγνισάμενοι* inseruit. Equidem *ἂν* inter *διατελοῖεν* et *ἐν* poni malim, cum hoc loco facilius excidere potuerit.

[1]) Hoc loco potentialis minus placet, cum enuntiationi secundariae sensus iterativus insit, optativo autem rem iteratam indicanti *ἂν* fere non addi constet. Bernardakis orationem in his verbis mancam esse censet (cf. praef. vol. I p. 74). Scribendum videtur esse *ἀντιφράξῃ*.

c) in interrogationibus indirectis 21 locis, velut

α) opt. praes. (3 loc.):

Pyrrh. 12 (II 297, 11): *πῶς ἂν ἁπτόμενοι . . ἀλλήλων ἀτρεμοῖεν . ., οὐκ ἔστιν εἰπεῖν*

β) opt. aor. (18 loc.):

se ips. citra inv. laud. M. 544 D: *ὅρα πρῶτον, εἰ προτροπῆς ἕνεκα . . αὐτὸν ἄν τις ἐπαινέσειεν*

Alex. 64 (III 351, 27): *ἐρωτηθείς, πῶς ἄν τις ἐξ ἀνθρώπων γένοιτο θεός, . . εἶπεν*

comm. not. M. 1078 E: *ὧν οὐκ οἶδα τί ἂν ἀτοπώτερον φανείη*

d) in enuntiatis causalibus 7 locis:

α) opt. praes. (1 loc.):

quaest. conv. IV M. 663 D: *ὅτι φαίης ἂν οὐ φυγὴν . . ἡδονῆς εἶναι τὴν ὑγιεινὴν δίαιταν*

β) opt. aor. (6 loc.):

comp. Ag.-Cleom. et Gracch. 2 (IV 205, 14): *ἐπεὶ καὶ τοῦτο ἄν τις εἴποι*

aud. poët. M. 24 F: *ἐπεὶ . . ἐξαπατηθείη τις ἂν*

Ages. 11 (III 154, 14); quaest. conv. VI M. 693 C; Her. mal. M. 854 F; adv. Col. M. 1113 D

e) in enuntiatis consecutivis 6 locis:

α) opt. praes. (1 loc.):

Num. 5. (I 124, 8): *ὥστε καὶ γέλως ἂν εἴη*

β) opt. aor. (5 loc.):

ser. num. vind. M. 555 D: *ὥστε . . μᾶλλον ἄν τις εἴποι*
comp. Thes. et Rom. 3 (I 75, 13); Sol. 7 (I 160, 26); quaest. Plat. M. 1004 B; non posse suav. M. 1097 D.

Liceat mihi hoc loco constructiones consecutivas, quae apud Plutarchum inveniuntur, in brevi ponere conspectu. In his enim enuntiatis iam a scriptoribus classicis infinitivum cum *ὥστε* coniunctum indicativo praeferri constat; hellenistica autem aetate

constructio illa in dies magis increbescit[1]), ita ut scriptores dialecti κοινῆς hac una fere utantur. Cuius rei exemplum Diodorus est, qui 342[ies] infinitivum, 25[ies] indicativum, non amplius uno loco optativum potentialem cum ὥστε coniungit[2]). A quo multum distat Dionysius, qui in his enuntiatis ter optativo potentiali, 113[ies] indicativo, 174[ies] infinitivo utitur. Facile igitur Dionysium de industria 'usum eorum qui paulo ante fuerunt relinquentem sermonem veterum scriptorum esse secutum'[3]) intellegi potest. Quod idem spectant cum Philodemus[4]) tum Strabo, cuius in libris numerus locorum, quibus ὥστε infinitivo adiungitur, dimidio fere maior est quam quibus indicativus admissus est[5]).

Itaque apud Plutarchum quomodo haec res se habeat, quaerere operae pretium videtur esse. Quem optativo potentiali in his enuntiatis sex locis usum esse vidimus; infinitivus 943[ies] (628[ies] in vitis, 315[ies] in moralibus), indicativus 100[ies] (40[ies] in vitis, 60[ies] in moralibus) reperitur. Praevalet igitur longe infinitivus (inf.: ind. = 9, 4: 1) similiter atque apud Diodorum (inf.: ind. = 342: 25 = 14: 1), ita ut Plutarchus hac in re hellenisticorum usum scriptorum sequi videatur. Sed neque id neglegendum est, quod infinitivus ipse apud Plutarchum latissime patet et in constructionibus liberrimis ab eo usurpatur[6]), neque quod ratio inter infinitivum et indicativum in moralibus plane alia (315: 60 = 5, 25: 1) est atque in vitis (628: 40 = 15, 7: 1).

Praeter ὥστε scriptor aliis particulis consecutivis utitur velut ὡς, quod 56[ies] cum infinitivo, semel cum indicativo[7]) coniunctum est, et ὅσον, quod semper fere τοσοῦτον vocabulo respondet et 6[ies] infinitivo adiunctum est.

---

[1]) Schmid, Att. III 85; Berdolt, „Z. Entwicklungsgesch. d. Konstr. m. ὥστε" (Progr. Eichstätt 1894).

[2]) Kapff p. 26/27.

[3]) Schroefel p. 54 adn. 1.

[4]) Glatzel p. 22 adn. 1.

[5]) Glatzel p. 58.

[6]) Weissenberger p. 28, 33.

[7]) Dem. 13 (IV 221, 6): ὡς . . ἄνω μετὰ Κίμωνος καὶ Θουκυδίδου . . ἄξιος ἦν (sc. Δημοσθένης) τίθεσθαι.

Itaque Plutarchus in his constructionibus Atticorum consuetudinem sermonis adeo non respexit, ut scriptoribus hellenisticis appropinquaret, maxime in vitis parallelis, minus in moralibus.

Mentione dignum est particulae *ὡς* usum, ut apud classicos — Herodoto et poëtis tragicis exceptis[1]) — magnopere coërcitus est, ita apud scriptores recentioris aetatis increbescere: Diodorus duobus locis[2]), Dionysius semel hanc particulam exhibent[3]); congruunt igitur cum Atticorum norma. Plura autem exempla Strabo[4]) et Ps.-Longinus[5]) praebent. Etiam Arrianus et Lucianus[6]) semel atque iterum utuntur, non minus Aelianus[7]); latissime autem apud Philostratum secundum[8]) et Clementem[9]) patet. Denique apud Achillem Tatium praevalet, qui hac 17[ies], *ὥστε* autem 10[ies] utitur[10]).

Sed revertamur ad propositum!

Quoniam nonnulla exempla optativi potentialis et in primaria et in secundaria sententia a Plutarcho usurpati attuli, restat ut eos locos breviter attingam, quibus pro optativo potentiali infinitivus vel participium potentiale cum *ἂν* coniunctum invenitur, quibus constructionibus Plutarchus satis saepe usus est. Posuit enim infinitivum potentialem 100 locis, quorum exempli causa hos profero:

Thes. 1 (I 1, 14): *ἐδοκοῦμεν οὐκ ἂν ἀλόγως τῷ Ῥωμύλῳ προσαναβῆναι*

Demosth. 3 (IV 211, 5): *δύο γὰρ ἑτέρους οὐκ ἂν εὑρεθῆναι δοκῶ ῥήτορας*

---

1) P. Thouvenin, „Unters. über d. Modusgebr. bei Aelian" Philol. N. F. VIII (1895) p. 614.

2) Kapff p. 27/28.

3) Schroefel p. 54 adn. 1.

4) Glatzel p. 58.

5) Tröger p. 35; Glatzel p. 99.

6) Schmid, Att. III 85.

7) Thouvenin p. 612.

8) Schmid, Att. IV 87.

9) Scham p. 95.

10) Sexauer p. 36.

def. or. M. 426 F: *ἥδιον ἂν μοι δοκῶ μαθεῖν*
de Stoic. rep. M. 1048 F: *ὥστ' εἰ λάβοι φωνήν, εἰπεῖν ἂν αὐτόν.*

Plerumque hi infinitivi e verbo aliquo sentiendi vel dicendi, est ubi etiam e particula *ὥστε* (7 ies) pendent. Quod ad tempus attinet, a Plutarcho infinitivum aoristi magnopere praelatum esse praesenti statuendum est. Sex locis infinitivum futuri cum *ἂν* coniunctum invenimus:

Marc. 15 (II 137, 3): *μηδὲν ἂν ἀνθέξειν . . οἰομένων*
Lys. 24 (II 410, 7): *ἤλπιζε δὲ . . οὐδένα . . Σπαρτιάτην ἂν αἱρεθήσεσθαι*
Luc. 5 (II 501, 31): *πάντα γὰρ ἂν ἐπ' ἐκείνῳ γενήσεσθαι*
Luc. 31 (II 537, 1): *οὐκ ἂν οἰόμενος . . προήσεσθαι*
Caes. 19 (III 382, 26): *οὐκ ἂν ἐδόκουν ἀτρεμήσειν*
Cleom. 4 (IV 128, 29): *ἡγουμένῳ μόνως ἂν οὕτως . . ἔσεσθαι.*

Quam constructionem ab Atticorum sermone alienam esse constat, quare exempla perpauca, quae antea ex his afferebantur, nunc iure correcta sunt[1]. Quamquam hodie quoque inveniuntur viri docti, qui locos illos defendant, velut nuperrime Keith[2]. Contra apud scriptores hellenisticos hic usus particulae *ἄν*, qui e sermone vulgari petitus videtur esse, haud ita raro reperitur, velut apud Polybium[3], Aristeam[4], Diodorum[5]; posteriores quoque sermonis popularis scriptores exempla non pauca praebent, ut Vettius Valens[6] et Epictetus[7]. Eadem sermonis consuetudo apud Iosephum[8] et Galenum[9] observata est; ne atticistae quidem hac constructione carent, cum

[1]) W. Schmidt, de Fl. Ios. el. p. 415; Kühner-Gerth II 1 § 392, 1; § 396 adn. 2; § 398, 1 d; § 398, 2; Schmid, Att. IV 621 adn. 45; H. Richards, Class. Rev. VI (1892) p. 336—342.

[2]) Keith, some uses of the future in Greek. Class. Quarterly VI (1912) p. 121—126.

[3]) Stich p. 192.

[4]) Cf. e. gr. § 125 Wendl.

[5]) Kapff p. 28/29.

[6]) p. 339, 31; p. 355, 30; p. 359, 17 Kroll (1908 Berl.).

[7]) Melcher p. 77.

[8]) W. Schmidt p. 414 sq.

[9]) Schmid, Att. IV 90.

in Dionysii[1]), Luciani[2]), Philostrati secundi[3]) libris hic illic inveniatur. Etiam Clemens 7ies indicativo futuri particulam ἄν adiunxit[4]); duo exempla Achilles Tatius exhibet[5]).

Itaque etiam apud Plutarchum exempla supra allata toleranda mihi videntur esse, neque facio cum Weissenbergero aut Herwerdeno, qui duobus locis (Lys. 24; Marc. 15) ἄν dittographia esse ortum suspicati delent[6]), similiter atque Guilelmus Schmidt, qui Iosephi locos huc pertinentes mutare non dubitavit[7]). Sed perversum puto apud hos scriptores omnia ad Atticorum normam redigere velle, cum atticistas quamquam nihil antiquius habebant, quam ut Atticos imitarentur, tamen permultas res sermonis vulgaris proprias libris suis inseruisse constet[8]), quas corrigendas non esse viri docti nunc demum intellexerunt, postquam antea doctissimus quisque, ut Cobetus vel Hercher, omnia ad classicorum elegantiam revocare non dubitavit[9]).

Sed haec hactenus; restat ut participii potentialis usum paucis absolvam. Quae structura apud Plutarchum 41ies invenitur, velut his locis:

Sol. 14 (I 168, 11): *ἐκάκιζον, εἰ . . δυσωπεῖται τὴν μοναρχίαν, ὥσπερ . . εὐθὺς ἂν βασιλείαν γενομένην*

Popl. 14 (I 204, 3): *ἀνῆγον εἰς τὸ Καπιτώλιον ὡς οὐκ ἂν ἐκείνου περιγενόμενοι παρόντος*

mul. virt. M. 251 F: *ἀνὴρ διὰ γῆρας . . ὡς οὐδὲν ἂν πράξας περιορώμενος.*

In his quoque exemplis 5ies:

Cam. 42 (I 297, 17): *ὡς . . μαχησομένων ἂν βέλτιον*

---

1) W. Schmidt l. l.
2) Du Mesnil p. 23; Schmid, Att. I 245.
3) Schmid, Att. IV 76.
4) Scham p. 52/53.
5) Sexauer p. 35.
6) Weissenberger p. 31 adn. 2; van Herwerden, Rh. Mus. 35 (1880) p. 529.
7) W. Schmid p. 414 sq.
8) Schmid, Att. IV 621 adn. 45.
9) Schenkl, Burs. Jahr. 38 (1884) p. 191; Gercke-Norden, „Einl. in d. Altertums-Wiss.“ I² (1910) p. 424.

Pyrrh. 34 (II 328, 31): ᾔτησε τὴν κεφαλὴν . . ὡς ἂν κατανοήσων
Ag. 13 (IV 118, 18): εὐκόλως ἂν αὐτῶν . . ἐνδεξομένων τὸν ἀναδασμόν
Demosth. 5 (IV 213, 5): διεπόνει . . ὡς ἂν τῶν λεγόντων ἐσόμενος καὶ αὐτὸς
Cic. 3 (IV 240, 23): ὡς οὐκ ἂν αὐτῷ . . γενησομένην

participium futuri cum ἂν coniunctum est, quam constructionem aeque ac futuri infinitivum potentialem mutandam non esse puto.

Videamus nunc, quid ex hac tanta copia exemplorum elicere possimus, ut de optativo potentiali a Plutarcho usurpato recte iudicemus.

Numerus locorum quibus optativus potentialis in sententia primaria exstat, 457 est; in sententia secundaria 131[ies] invenitur; quibus locis ii addendi sunt, quibus potentialis in apodosi constructionum condicionalium est; quorum numerus 73 est.

Habemus igitur optativum potentialem 661 locis; quem numerum si cum omnium optativorum numero (1994) comparamus, hanc rationem conspicimus inter numerum

potentialium et omnium optativorum
661 : 1994 = 1 : 3.

Quae minor est quam apud scriptores aetatis prioris, velut[1])

apud	Diodorum	(138 : 254 = 1 : 2)
	Philodemum	(269 : 340 = 1 : 1, 26)
	Strabonem	(1 : 1, 8)
	Dionysium	(1 : 2, 3)
	Ps.-Longinum	(1 : 1, 5).

Mentione autem dignum est Plutarchum optativo potentiali in moralibus multo saepius usum esse quam in vitis, quarum elocutionem scriptori facultatem potentialis usurpandi rarius dedisse apparet quam moralium, quibus nota inest oratoria quorumque formas sermonis augere et amplificare, ut dicendi varietate animos audientium teneret, Plutarchum quam maxime studuisse consentaneum est.

---

[1]) Cf. Kapff p. 29; Glatzel p. 23, 59, 100; Schroefel p. 56.

Eadem differentia apud Dionysium quoque observari potest; nam ut invenimus apud Plutarchum

in vit. par.	169	pot.	inter	1105	opt.	= 1 : 6, 5
in mor.	492	„	„	889	„	= 1 : 1, 8
	661	„	„	1994	„	= 1 : 3,

ita apud Dionysium [1])

in antiqu.	290	pot.	inter	894	opt.	= 1 : 3
in rhetor.	278	„	„	398	„	= 1 : 1, 4
	568	„	„	1292	„	= 1 : 2, 3.

Itaque utrumque optativi potentialis vim et auctoritatem magnopere amplificasse intellegi potest; simul autem elucet quantopere a sermone vulgari recesserint, e quo hic optativus Plutarchi aetate prorsus fere exolevit [2]), quam ob rem haec certissima est nota, qua vulgarem ab oratione artificiose expolita dignoscamus.

Itaque potentialis optativus in Novi Testamenti libris non exstat nisi aliquot locis in evangelio Lucae, quem multis aliis quoque rebus litteris imbutum se praebere constat, et in Actis Apostolorum [3]); neque saepius in papyris [4]) aut a patribus apostolicis [5]) usurpatus est.

Longe alium usum apud scriptores litteris eruditos esse supra vidimus; maxime autem atticistae potentialem videntur adamasse, ita ut sint quorum in libris potentialis cetera optativi genera prorsus fere represserit. Quo in numero cum alii tum Philo est; Philodemus quoque et Dionysius in rhetoricis scriptis potentiali nimis indulgent, similiter Plutarchus in moralibus. Cum hoc congruit Dio aequalis, apud quem potentiales plus dimidiam omnium optativorum partem efficiunt

(num. pot. : omn. opt. = 1 : 1, 8) [6]).

Eandem fere rationem Clemens exhibet (1 : 1, 77) [7]); con-

---

1) Schroefel p. 56.
2) Blass [2] p. 224.
3) Moulton p. 260, 312.
4) Harsing p. 29.
5) Reinhold p. 111.
6) Jaekel p. 19.
7) Scham p. 66.

tra Philostratus secundus et Philostratus tertius potentialis usum miro modo aliquantum coërcuerunt; ratio apud illum 1 : 4, 74, apud hunc 1 : 5 est[1]).

Itaque ut redeam ad Plutarchum, plurima potentialis exempla in moralibus inveniuntur, idque ita ut pari fere modo in singulis libellis disposita sint. In vitis autem potentialis praecipue in orationibus directis usurpatus est iisque locis quibus scriptor suum iudicium de homine vel re aliqua profert, velut in comparationibus — *συγκρίσεις* — quas Plutarchus singulis vitarum paribus addidit[2]). Mirum igitur non est in tanta exemplorum copia easdem formulas iterum ac saepius inveniri cum in vitis tum in moralibus; quarum has attulisse satis sit:

1. *φαίη τις ἂν* vel *ἄν τις φαίη* (17[ies])
   φῆσαι τις ἂν (7[ies]) vel
   φήσειεν ἄν τις (bis)
2. *τί ἂν λέγοι τις;* (10[ies])
3. *ἔχοι τις ἂν* (7[ies])
4. (*ὡς*) *ἄν τις εἴποι* vel *εἴποι τις ἂν* (32[ies])
   (*οὐκ*) *ἂν εἴποις* (6[ies])
   τίς (*οὐκ*) *ἂν εἴποι;* (8[ies])
5. *θαυμάσαιμι δ' ἂν* (bis)
   ἄν τις θαυμάσειε (10[ies])
   τίς ἂν θαυμάσειε; (quater)
6. *δόξειε δ' ἂν* (17[ies])
7. *ἄν τις εὕροι* (5[ies])
   εὕροις ἂν (quater)
8. (*ὡς*) *ἄν τις καταμάθοι* vel *καταμάθοις ἂν* (quater)
9. *γνοίη τις ἂν* (5[ies])
10. *ἴδοι τις ἂν* vel *ἂν ἴδοις* (7[ies])
11. (*ὡς*) *ἄν τις εἰκάσειε* vel *εἰκάσαι* (7[ies])
12. *ἡδέως ἂν πυθοίμην* (7[ies])
13. (*οὐκ*) *ἂν γένοιτο* (11[ies])
    τίς vel *τί* vel *πῶς ἂν γένοιτο;* (11[ies])
14. *ἂν φανείη* (7[ies]).

---

[1]) Jaekel p. 54, 86.

[2]) Has comparationes genuinas esse negat Hirzelius „Plut." p. 72.

His igitur similibusque formulis Plutarchus orationem ornare et amplificare studet.

Paucis absolvere possum quae de temporibus et verbi generibus optativorum potentialium sunt dicenda. Iam formulas supra allatas perlegentem non fugiet optativum aoristi saepius inveniri quam praesentis; neque id casu accidit, sed praefert scriptor in optativo potentiali tempus illud praesenti magis quam in ceteris optativi generibus. Habemus enim in universum in Plutarchi libris (cf. p. 23):

811 opt. praes. et 1123 opt. aor. = 1 : 1, 38;

in exemplis autem optativi potentialis haec ratio conspicitur:

praes. : aor. = 167 : 493 = 1 : 3.

Ex quo Plutarchum hac in re magis quam ceteris rebus a classicorum usu recedere intellegitur, quorum Plato — ut exemplum afferam — in dialogo, qui 'Phaedo' inscribitur, 198 locis potentiali utitur, in quibus 141 optativi praesentis, 57 aoristi sunt (= 1 : 0, 44)[1].

Neque vero neglegendum est eandem rem aliorum scriptorum propriam esse, velut Diodori et Dionysii. Etiam apud Dionem Chrysostomum et Philostratum secundum differentia haud exigua in usu temporum statuenda est, si optativus potentialis cum optativo universo comparatur; cf. quaeso haec:

ratio inter opt. praes. et aor. est

apud Dionem in opt. universo	1 : 0, 82
„ „ in opt. potent.	1 : 1, 43,
apud Philostratum secundum	
in optativo universo	1 : 0, 78
„ potentiali	1 : 1, 2.

Simili modo Clemens in optativo potentiali usum aoristi etsi paululum auxit[2]).

Ut in temporibus, ita in generibus verbi usurpandis Plutarchum sermoni vulgari in his exemplis videmus appropinquare. In universum enim ratio inter numerum optativorum activi et medii est (cf. p. 24):

1303 : 502 = 2, 59 : 1;

---

[1]) Kapff p. 30.

[2]) Scham p. 66.

in exemplis autem supra commemoratis 485[ies] optativum activi, non amplius 136[ies] medii invenimus, ita ut haec sit ratio:

act. : med. = 485 : 136 = 3, 5 : 1.

Etiam hanc differentiam apud alios scriptores ut Diodorum et Clementem observari mentione dignum est[1]).

Sequitur ut nonnulla de particula ἄν dicam, qua optativi vis potentialis significatur, quam ob rem huic optativo fere addita est. Quod praeceptum ad prosae tantum scriptores pertinet; apud poëtas optativo puro significationem potentialem inesse non raro statuere possumus, velut apud Homerum[2]), imprimis in Iliade, et in hymnis Homericis. Pindarus quoque et poëtae tragici nonnulla exempla huius structurae exhibent[3]), quam apud recentiores quoque poëtas in usu fuisse exempla, quae apud Oppianum inveniuntur, nos docent[4]). Sed apud solutae orationis scriptores classicae saltem aetatis optativo potentiali semper particulam ἄν adiunctam esse supra dixi, quam ob rem exempla rarissima, in quibus haec particula in codicibus omissa est, iam pridem iure correcta sunt, quamvis acriter defenderint Leopoldus Schmidt[5]) et Vandaele[6]). Apud posteros quoque scriptores haec lex tam late patet ut perpauci sint qui hic illic recedant. Accedit quod particula ἄν omissa sermonis vulgaris propria habetur[7]), quam ob rem atticistae addere solent. Itaque non multa potentialis particula ἄν carentis exempla afferri possunt; invenimus nonnulla in papyris Aegyptiis[8]), apud Polybium[9]), Diodorum[10]), Vettium Valentem[11]).

---

[1]) Kapff p. 30/31; Scham p. 66.

[2]) C. Lang, „D. potent. Opt. bei Homer" 1866 Offenburg; Vandaele p. 3—6.

[3]) Vandaele p. 6—9; G. Wolff, „D. fehlende ἄν b. d. unabhäng. Opt. Pot. im Drama" (Rh. Mus. 1863 p. 602—606).

[4]) Opp. Cyn. II 184, 358, 362, 364.

[5]) L. Schmidt, de omissa apud opt. et coni. ἄν part. (ind. lect. Marb. 1868/69).

[6]) Vandaele p. 10 sq.

[7]) Schmid, Att. IV 621.

[8]) Harsing p. 28/29.

[9]) Stich p. 191.

[10]) Kapff p. 31.

[11]) p. 238, 23; p. 277, 21; p. 340, 9 Kroll.

Atticistas potentiali particulam fere addidisse modo dixi; tamen ne apud hos quidem desunt loci ab hac lege recedentes. Qui utrum corrigendi an tolerandi sint, in contentione ponitur, neque consentiunt hac in re viri docti; Guilelmus Schmid — ut exemplum afferam — locos illos mutandos esse negat[1]), alii particulam ἂν — plerumque facillimo modo — inserere non dubitant, velut Guilelmus Schmidt, qui Iosephi[2]), et Schroefel, qui Dionysii locos huc pertinentes corrigit[3]), id quod Scham[4]) improbat. Eodem modo loci in Philodemi Strabonis Ps.-Longini libris correcti sunt[5]); etiam in exemplis, quae Dio, Philostratus secundus, Philostratus tertius praebent, particulam ἂν restituit Jaekel[6]). Alia exempla in Apollonii Dyscoli[7]) et Ps.-Demetrii (περὶ ἑρμηνείας)[8]) libris inveniuntur, haud pauca etiam apud Lucianum[9]) et Clementem[10]); post hos Achilles Tatius aliquoties hac structura usus est[11]), et posteris saeculis usitatissimam eam videmus esse[12]).

Quaeramus nunc, quomodo apud Plutarchum haec res se habeat.

Invenimus optativum potentialem cum ἂν coniunctum 636 locis, quibus ex adverso ponendi sunt 25 potentiales particula ἂν carentes. Quos locos si accuratius perlustramus, corruptelas semper fere ita ortas esse cognoscimus, ut librarius aliquis aut laberetur in scribendo aut particulam ἂν ex incuria praeteriret, id quod non solum in optativo potentiali, sed etiam in aliis constructionibus factum est, velut

Dio 30 (V 26, 16): ὧν ἂν αὐτοὶ . . γένωνται

---

1) Schmid, Att. I 50; 244 sq.; IV 89; 621.
2) W. Schmidt p. 410/411.
3) Schroefel p. 58 sq.
4) Scham p. 50.
5) Glatzel p. 26, 62, 100.
6) Jaekel p. 20/21; 54 sq.; 86.
7) Schmid, Att. IV 89.
8) K. Dahl, „Demetrius περὶ ἑρμηνείας“ I (Progr. Zweibrücken 1894) p. 22/23.
9) Du Mesnil p. 20/21; Schmid, Att. I 224.
10) Scham p. 42—50.
11) Sexauer p. 34/35.
12) Usener, „D. hl. Tychon“ p. 53.

ἀν add. Coraësius

praec. ger. reip. M. 819 D: *οὕτω γὰρ ἂν ἦν ὁ Γηρυόνης . ., εἰ πάντα . . διῴκει*

ἂν inser. Wyttenbachius

aquane an ign. M. 957 A: *εἰ μὴ θάλαττα ἦν, πάντων ἂν ἀγριώτατον ζῷον . . ὁ ἄνθρωπος ἦν*

ἂν add. Bernardakis.

Itaque mera menda scripturae videntur esse haec tria exempla:

def. or. M. 421 A: *καὶ ποῦ τις ἂν* (codices *ἐν*; corr. Emperius) *εὐμενεστέροις ἀκροαταῖς ἐπιτυχὼν . . δοκιμάσειε;*

quaest. conv. I M. 621 A: *τοιαῦτα γιγνώσκων ἂν* (codices *μέν*; corr. Emperius et Weissenberger p. 34 adn. 6) *τις . . πρυτανεύσειε*

comm. not. M. 1071 F: *τί ἂν* (codices *πᾶν*; Madvigius corr.) *φαίης . .;*

Haplographia quae dicitur ἂν videtur excidisse his 4 locis:

comp. Ages. et Pomp. 4 (III 277, 19): *τίς ἂν ἀνάσχοιτο . .;*

ἀν add. Coraësius

amat. M. 768 E: *τίς ἂν ἀνάσχοιτο . .;*

ἂν add. Bernardakis

quaest. conv. VII M. 712 B: *τί ἂν ἀντιλέγοι τις;*

ἂν add. Reiskius et Herwerdenus

def. or. M. 428 E: *ἡ δὲ τοῦ δωδεκαέδρου φύσις . . τοῦ ὄντος εἰκὼν πρὸς πᾶν ἂν τὸ σωματικὸν γεγονέναι δόξειεν*

ἂν add. Bern. et Weissenb. (p. 34); Stegmannus („Krit. Beitr. z. d. Mor. d. Plut." 1886 Lpzg. p. 20) ἂν post εἰκὼν inserendum esse censet.

Simili modo etiam ceteris (18) locis ἂν omissum explicatur, ita ut ubique facillimis coniecturis inseri potuerit; satis habeo hos locos exempli causa attulisse:

Cic. 5 (IV 242, 12): *ἐρομένῳ γὰρ αὐτῷ, ὅπως ἂν ἐνδοξότατος γένοιτο*

ἂν add. Schaefer

Is. et Os. M. 376 A: *οὐ μὴν ἀλλὰ μᾶλλον ἂν ἱφείμην*

ἂν add. Emperius

non posse suav. M. 1092 A: *τέλος ὃ δόξειεν ἂν αὐτόθεν ὑπάρχειν*

ἂν inser. Bernardakis.

Satis igitur me demonstrasse opinor Plutarchum semper optativum potentialem cum ἂν particula coniunxisse, ita ut eos locos, qui usitatae ἂν particulae rationi obsistunt, optimo iure mutavarint viri docti, imprimis editores Sintenis et Bernardakis praeeuntibus Coraësio Emperio Herchero.

Mentione dignum est hanc corruptelam in vitis multo rarius [1]) inveniri quam in moralibus; cuius rei causa haec videtur esse, quod textus vitarum universus optime traditus est, moralia autem multis locis foedissimis mendis et magnis lacunis depravata sunt, quas corruptelas sanare editores saepe frustra studuerunt.

Duobus locis Plutarchus particulam ἂν optativo potentiali bis addidit; sunt hi:

quaest. conv. IV M. 661 D: *ἐκεῖνο ἔχω εἰπεῖν, ὅτι μᾶλλον ἂν ἐκ λόγων ὑπεναντίων γένοιτ' ἂν πίστις*

praec. reip. ger. M. 816 D: *ἦ που κολούων ἄν τις ἀξίωμα συνάρχοντος . . ἐπιεικὴς ἂν φανείη καὶ μέτριος;*

Utroque loco scriptor particulam iteravisse videtur propterea quod ἂν prius a potentiali longius distat. Accedit quod haec sermonis consuetudo iam apud poëtas et oratores Atticos invenitur [2]), quam ob rem atticistae classicam habent et saepius usurpant [3]), ut Dio Chrysostomus [4]), Lucianus [5]), Clemens [6]); etiam Philo [7]), Strabo, Ps.-Longinus [8]) nonnulla praebent exempla.

---

[1]) Duobus tantum locis, id quod Weissenbergerum fugit, qui dicit (p. 34): „Da diese Erscheinung nur in d. Mor. nachzuweisen ist, so darf diese Struktur nicht auf eine sprachliche Eigentümlichkeit zurückgeführt werden".

[2]) Vandaele p. 57—62.

[3]) Schmid, Att. IV 619, 634; Tröger p. 37.

[4]) ter: Jaekel p. 23.

[5]) Schmid, Att. I 244.

[6]) Scham 51: ter.

[7]) Schmid, Att. IV 90.

[8]) binis locis: Glatzel p. 62, 100.

Restat ut contemplemur, quomodo in singulis enuntiationum generibus Plutarchus optativo potentiali sit usus. Saepissime hunc optativum in sententiis primariis enuntiativis usurpatum esse mirum non videtur: legimus in his enuntiatis potentialem 407 locis, ita ut haec copia maiorem omnium potentialium (661) partem efficiat. Sequuntur quaestiones directae et rhetoricae quae dicuntur; in his potentialis 123ies invenitur. Quod ad enuntiata secundaria attinet, saepissime in sententiis relativis potentialis positus est; reperitur enim in his 75ies. Rarius in sententiis enuntiativis secundariis legitur (22ies), totidem fere locis in quaestionibus indirectis (21ies), rarissime autem in enuntiatis causalibus (7ies) et consecutivis (6ies).

Denique commemorare mihi liceat sententiam potentialem non modo optativo potentiali, sed etiam aliis modis exprimi posse, id quod in lingua vulgari semper fieri constat. Plutarchus quoque quibusdam locis, quibus potentiali opus esse credas, alias formas usurpare maluit, quin etiam inveniuntur enuntiata, in quibus optativo potentiali membri prioris alia forma, plerumque indicativus futuri, in membro altero respondeat. Ut exempla afferam, potentialis cum indicativo futuri coniunctus est his locis:

Cat. min. 15 (IV 49, 1): *φήσας, ὅτι . . ἂν εὐπορήσειεν, οἱ δὲ φίλοι μεθέξουσιν*

r. rat. aud. M. 38 C: *ὅτι . . οὐ μόνον . . διαμενεῖ . ., ἀλλὰ καὶ διαστρέφοιτ᾽ ἄν.*

Simili modo potentialem membri prioris indicativus praesentis in membro altero excipit hoc loco:

quaest. conv. VII M. 708 D: *ἐκείνων, οἷς ἂν ἥδιστα συγγίνοιτο καὶ μεθ᾽ ὧν εὐφραίνεται παρόντων,*

ubi Bernardakis utrumque verbum in coniunctivum mutari vult. Quem non sequemur; neque enim Plutarchi unius hoc proprium est, immo eandem rem apud alios scriptores observamus, velut apud Philodemum[1]) et Clementem[2]).

Similiter est potentialis indicativo futuri circumscriptus, quam sermonis consuetudinem satis saepe apud Plutarchum in-

[1]) Glatzel p. 24.

[2]) Scham p. 80.

venimus. Ut ex magna exemplorum copia pauca afferam, inspicias quaeso haec:

Per. 39 (I 340, 13): *ἀλλὰ ταῦτα μὲν ἴσως ἑτέρας δόξει πραγματείας εἶναι*

Alc. et Cor. comp. 2 (I 459, 7): *τούτῳ δὲ φήσει τις διαφέρειν*

cupid. div. M. 527 A: *τί οὖν; φήσει τις*

non posse suav. M. 1100 D: *ἀδίκως, φήσει τις*

Sol. et Publ. comp. 4 (I 217, 31); M. 665 E; M. 784 C; M. 1049 E; M. 1064 B; M. 1066 B; M. 1112 F.

Itaque ut eorum quae de optativo potentiali exposui, quasi summam faciam, hoc imprimis statuendum est Plutarchum in potentiali usurpando scriptores classicos secutum eodemque modo atque illos hac constructione cum in vitis tum in moralibus usum esse, ut orationem variaret et elegantiam ornatumque verborum efficeret. Quamquam quibusdam in rebus ab Atticorum norma eum recedere vidimus; neque vero magni momenti hae differentiae sunt.

Quam ob rem liceat mihi hoc loco breviter amplecti, qua ex parte Plutarchus cum classicorum sermone et congruat et ab iis discrepet.

Cui cum classicis communia sunt haec:

a) Optativi potentialis usus, qui in sermone vulgari illius aetatis prorsus obsolevit, a Plutarcho valde amplificatus est, idque secundum Atticorum exemplum.

b) Ut apud hos, ita apud illum optativo potentiali non solum aliquid fieri posse exprimitur, sed etiam de rebus plane certis scriptor hunc optativum urbanitatis Atticae haud raro usurpat.

c) Plutarchus potentiali in omnibus enuntiatorum generibus utitur, etiam in iis enuntiatis, in quibus potentialis Atticis non nimis usitatus est, ut in sententiis causalibus et consecutivis. Mentione autem dignum est potentialis in his ipsis sententiis usum atticistarum proprium esse; apud scriptores dialecti *κοινῆς*, ut Polybium, nullum tale exemplum invenitur[1]). Quo accedit quod Plutarchus similiter atque atticistae potentialis in enun-

[1]) Scham p. 68 adn. 3.

tiatis secundariis usum universum augere studet, cum in his enuntiatis multo celerius et magis quam in primariis evanuerit. Qua in re Plutarchus etsi Dionysio Halicarnaseo cedit, cum inter centenos optativos potentiales apud hunc 33 fere, apud illum autem non plus 22 fere (588 : 131 = 100 : 22, 3) in sententiis secundariis positi sint, tamen alios atticistas superat, velut Dionem Chrysostomum (100 : 16), Clementem (100 : 13), Philostratum secundum (100 : 14).

d) In formis optativi potentialis omnes personas et singularis et pluralis invenimus.

e) Duobus locis particula ἂν iterata est.

f) Ut saepe apud Atticos, ita apud Plutarchum haud paucis locis optativi potentialis locum indicativus futuri occupavit [1].

Contra discrepat Plutarchus ab Atticis in his rebus:

a) in usu temporum generumque verbi, cum in potentiali et optativum praesentis et optativum medii magis quam in ceteris optativi generibus represserit, ita ut hac in re cum scriptoribus hellenisticis congruat.

b) in usu particulae ἂν, quam contra leges classicorum infinitivo et participio futuri addidit.

Ex quibus omnibus intellegitur Plutarchum etiam in potentialis optativi usu classicorum sermonem ad imitandum sibi proposuisse, i. e. eandem viam atque atticistas ingressum esse. Tamen in potentiali adhibendo modum retinuit et nimiam classicorum imitationem cavit. Quam ob rem huius artificii usus apud eum minime affectatus et quaesitus est ut apud alios posterioris aetatis scriptores velut Philodemum et Philonem, quae non minima illius scriptoris laus mihi videtur esse.

Transeamus nunc ad

2. optativum obliquum,

quem pro indicativo aut coniunctivo in enuntiationibus secundariis e tempore praeterito pendentibus usurpari constat.

a) Ac primum quidem contemplemur optativum obliquum in sententiis enuntiativis ex ὡς et ὅτι coniunctionibus penden-

---

[1]) Kühner-Gerth II 1 p. 172, 4.

tibus pro indicativo usurpatum, quam structuram 242 locis invenimus; quorum hos exempli causa profero:

α) Optativus obliquus pendet e tempore praeterito (224 loc.)

αα) opt. praes. (122 loc.)

post ὡς (100 loc.):

Thes. 6 (I 6, 10): *εἶπεν ὡς καθεύδειν αὐτὸν οὐκ ἐῴη τὸ Μιλτιάδου τρόπαιον*

Eum. 6 (III 123, 9): *διέδωκε μὲν . . λόγον, ὡς Νεοπτόλεμος . . ἐπίοι*

comm. not. M. 1059 B: *εἶτά τις εἶπεν αὐτῶν, ὡς . . νομίζοι*

Aem. Paul. 24 (II 63, 29): *ἐνέπεσε λόγος . ., ὡς Αἰμίλιος . . καταστρέφοιτο σύμπασαν Μακεδονίαν*

Caes. 48 (III 411, 23): *εἰπὼν ὡς Αἰγυπτίων ἐλάχιστα δέοιτο*

Ages. 7 (III 149, 24): *ἔλεγεν ὡς δι' αὐτὸν ἀτιμάζοιντο*

aet. Rom. M. 272 A: *βοώντων . . ὡς Ταλασίῳ γυνὴ φέροιτο*

post ὅτι (22 loc.):

Sull. 12 (II 432, 28): *ἔγραψε . ., ὅτι . . βέλτιον εἴη*

Crass. 11 (III 52, 29): *εἰπών, ὅτι νικῶν μὲν ἔχοι πολλοὺς ἵππους . ., ἡττώμενος δ' οὐ δεῖται*

opt. obl. et indicat. praes. iuxta positi sunt

quaest. conv. I M. 620 C: *ἔλεγε . . γράφων, ὅτι τά τ' ἄλλα . . βασιλικώτερος εἴη καὶ φέροι καλῶς πολὺν ἄκρατον*

Cleom. 22 (IV 147, 20): *ἤκουσεν ὅτι φοβοῖτο*

gen. Socr. M. 583 C: *ἀπήγγελλον, ὅτι οἴχοιτο μακαριστός*

Alex. 6 (III 284, 27): *ἐννοήσας, ὅτι . . διαταράττοιτο*

ββ) opt. fut. (18 loc.):

post ὡς (14 loc.):

Luc. 5 (II 501, 27): *γράφοντος, ὡς . . ἀπάξοι τὰς δυνάμεις*

Pyth. or. M. 403 C: *ἀνεῖλεν, ὡς οἱ τρεῖς τυραννήσοιεν*

Pomp. 54 (III 246, 17); Brut. 10 (V, 60, 1)

Arist. 18 (II 182, 27): *παρέστη λογισμός, ὡς . . ὁ ἀγὼν ἔσοιτο*

Caes. 14 (III 376, 28): *προσεπεῖπεν, ὡς ἀφίξοιτο*

Them. 29 (I 248, 26); Fab. Max. 14 (I 357, 20); Mar. 36 (II 369, 12); Mar. 45 (II 380, 21); Ag. 13 (IV 118, 16); Arat. 6 (V 140, 15); Sull. 6 (II 425, 1); Sert. 21 (III 110, 10).

post ὅτι (quater):
Them. 25 (I 244, 4): *λέγων, ὅτι κατηγορήσοι καὶ καταψεύσοιτο*
Luc. 41 (II 549, 12)
Luc. 26 (II 529, 25): *δυσφορῶν .., ὅτι .. ὁ ἀγὼν ἔσοιτο*
Ant. 70 (IV 410, 28)

γγ) opt. aor. (68 loc.):

post ὡς (52 loc.):
Rom. 25 (I 66, 1): *λέγοντες, ὡς τρὶς ἑκατομφόνια θύσειεν*
VII sap. conv. M. 163 C: *τὸν Ἕναλόν φασιν .. λέγειν, ὡς .. ἐκπέσοιεν ἀβλαβῶς*
Fab. Max. 23 (I 368, 16): *εἶπεν, ὡς .. αὐτὸς αἴτιος γένοιτο τοῦ .. ἁλῶναι*
Stoic. rep. M. 1049 B: *καὶ τὸν Εὐριπίδην μάρτυρα καὶ τοὺς ἄλλους προσάγεται τοὺς λέγοντας, ὡς ὁ Τρωϊκὸς πόλεμος .. γένοιτο*
Thes. 6 (I 4, 28): *ἦν δὲ λόγος .., ὡς ἐκ Ποσειδῶνος τεκνωθείη*
VII sap. conv. M. 161 B: *ἔλεγε γὰρ Ἀρίων, ὡς .. ἐπιβὰς ἀναχθείη ..*

post ὅτι (16 loc.):
Alc. 18 (I 392, 31): *ἐλέχθη μὲν οὖν, ὅτι Κορίνθιοι ταῦτα δράσειαν*
quaest. conv. V M. 675 A: *εἶπον, ὅτι ... ἀγῶνα ποιήματος παράσχοι καὶ Σίβυλλα νικήσειεν*
Alex. 55 (III 341, 26): *λέγων, ὅτι .. ψεύσαιτο τὴν ὁμολογίαν*
de monarch. M. 826 D: *εἰπεῖν ἐκείνους, ὅτι μόνῳ πρότερον τὴν πολιτείαν Ἡρακλεῖ .. ψηφίσαιντο*
Ages. 25 (III 170, 5): *ἐτόλμησεν εἰπεῖν ..., ὅτι Κλεώνυμος αὐτοῦ δεηθείη*
quaest. conv. I M. 628 F: *προσετίθην, ὅτι καὶ τὸ ψήφισμα .. γραφείη καὶ ὅτι .. εὐδοκιμήσειεν ἡ φυλὴ μάλιστα*

δδ) opt. perf. (16 loc.):

post ὡς (12 loc.):
Rom. 14 (I 49, 17): *διεδόθη λόγος .., ὡς θεοῦ τινος ἀνευρήκοι βωμὸν*
Cam. 22 (I 274, 14): *λόγον κατασχεῖν, ὡς στρατὸς .. ᾑρήκοι πόλιν Ἑλληνίδα Ῥώμην*
Pyrrh. 18 (II 306, 11); Pomp. 5 (III 192, 8);

Alex. 60 (III 347, 14); Dion. 21 (V 17, 18);
Artax. 14 (V 117, 29); Arat. 16 (V 149, 16)

Alc. 4 (I 379, 32): *τῶν οὖν ξένων .. λεγόντων, ὡς ὑβριστικῶς .. εἴη τῷ Ἀνύτῳ κεχρημένος*
Mar. 8 (II 336, 2); Alex. 73 (III 359, 30)

VII sap. conv. M. 161 B: *ἔλεγε γὰρ Ἀρίων, ὡς .. πύθοιτο .., ὡς .. τοῦτο δρᾶν αὐτοῖς εἴη δεδογμένον*

post *ὅτι* (4 loc.):

Ant. 33 (IV 375, 27): *ἀπαγγέλλεται ..., ὅτι ... Λαβιηνὸν ἀπεκτόνοι*
Ant. 14 (V 118, 11); gen. Socr. M. 581 D

gen. Socr. M. 586 A: *ἐπέγνων, ὅτι καλῶς ... πεπαιδευμένος ... εἴη.*

β) Optativus obliquus pendet e tempore primario (18 loc.):

αα) optat. praes. (ter)

post *ὡς*

Caes. 61 (III 422, 22): *πολλοὶ γράφουσιν, ὡς ποιμένων τὸ παλαιὸν εἴη*

C. Gracch. 1 (IV 187, 14): *ἱστορεῖ δὲ καὶ Κικέρων ὁ ῥήτωρ, ὡς .. ὁ ἀδελφὸς .. φαίη*
VII sap. conv. M. 152 C.

ββ) opt. aor. (14 loc.):

post *ὡς* (9 loc.):

Flam. 20 (II 280, 7): *ἔνιοι μὲν οὖν λέγουσιν, ὡς .. διαφθείρειεν αὐτόν*

aet. phys. M. 917 F: *λέγεται .., ὡς τὴν Κόρην .. ὁ Πλούτων ἀφαρπάσειε*
Ant. 9 (IV 354, 17); Ant. 11 (IV 356, 19);
Dio 35 (V 31, 31)

Num. 1 (I 117, 18): *λεγομένου δ' οὖν, ὡς Νομᾶς γένοιτο*

Caes. 32 (III 386, 12): *ὁ μὲν Καῖσαρ ἐν ταῖς ἐφημερίσι γέγραφεν, ὡς .. ἐπιθοῖντο*
Demosth. 26 (IV 232, 12); def. or. M. 417 E

post *ὅτι* (5^{ies})

Per. 38 (I 339, 7): *ὁ γοῦν Θεόφραστος ἐν τοῖς Ἠθικοῖς ... ἱστόρηκεν, ὅτι .. δείξειε*

quaest. Gr. M. 301 D: Ἴστρος δὲ ὁ Ἀλεξανδρεὺς ἐν ὑπομνήμασι προσιστόρηκεν ὅτι .. τέκοι

Alc. 3 (I 378, 19); Rom. 12 (I 46, 5); Alex. 20 (III 301, 3)

γγ) opt. perf. (semel)

post ὡς

Demosth. 4 (IV 211, 22): Αἰσχίνης ὁ ῥήτωρ εἴρηκε .., ὡς .. γεγόνοι.

Invenimus igitur optativum obliquum in sententiis enuntiativis 242 locis, quorum 203 in vitis, 39 in moralibus sunt, quae differentia facile eo explicatur, quod Plutarcho in vitis parallelis facultas orationis indirectae usurpandae multo saepius data est quam in moralibus, quorum sermoni oratio directa magis convenit. Itaque plane contraria haec ratio est ei, quae in potentialis optativi usu conspicitur, quem in moralibus longe saepissime inveniri supra (cf. p. 69) expositum est. Quae res apud Dionysium quoque statuenda est, cum hic optativo obliquo in scriptis rhetoricis uno tantum loco, in Antiquitatibus autem 50ies in his enuntiatis usus sit[1]).

Ut autem cognoscamus, quomodo Plutarchus optativum obliquum in sententiis enuntiativis usurpaverit, numerum exemplorum cum numero locorum quibus scriptor tempore praeterito praecedente optativum obliquum evitavit, comparari[2]) opus est. Inveni autem 760 locos — 531 in vitis, 229 in moralibus —, quibus Plutarchus indicativum optativo praetulit; habemus igitur hanc rationem inter numerum exemplorum

	opt. obl. et indic.		
apud Plutarchum	224 : 760	=	1 : 3, 4.

Eadem ratio est[3])

apud Dionysium	51 : 285	=	1 : 5, 7
Polybium			1 : 10, 4
Diodorum	15 : 297	=	1 : 19, 6.

---

[1]) Schroefel p. 63.

[2]) Id quod C. Ritter („D. Sprachstatistik in Anwendung auf Platon u. Goethe“ N. Jahrb. f. d. klass. Altert. XI [1903] p. 317) nominat „Verhältnis der Anwendungsgelegenheiten zur wirklichen Anwendung“.

[3]) Schroefel p. 63; Kapff p. 51.

Quibus omnibus quamquam Plutarchum longe antecedere e tabula perspicuum est, tamen si huius apud classicos optativi usum spectamus, eum hos minime assecutum esse concedere debemus. Sed cognoscimus, quantum a sermone vulgari distet, e quo hic optativus Plutarchi temporibus prorsus evanuit, cui rei documento sunt chartae Aegyptiae p. Chr. n. exaratae, quae ne unum quidem optativum obliquum in his enuntiatis exhibent[1]). Contrarius est atticistarum usus, quos classicis appropinquare studere Dionysii exemplo demonstratur. Quod idem e ratione, quae apud Dionem est (1 : 2, 66)[2]), cognoscitur; quin etiam Philostratus secundus hunc obliquum tantopere adamavit, ut post tempus praeteritum multo saepius quam indicativum usurpaverit (opt. obl.: ind. = 1 : 0, 37)[3]). Paulo minus late apud Philostratum tertium patet (1 : 0, 73)[4]); similem rationem (1 : 0, 94)[5]) apud Strabonem conspici mirum est, qui hac in re Dionysium aequalem longe superavit. Satis raro autem optativo obliquo in sententiis enuntiativis Clemens usus est (2 : 22)[6]).

Coniunctiones, e quibus sententiae pronuntiativae pendent, ὡς et ὅτι sunt; διότι, quod a IV. a. Chr. n. saeculo in usu esse incipit — iam Isocrates hiatus evitandi causa hic illic usurpat[7]); saepius apud Aristotelem invenitur[8]), in titulis quoque a III. a. Chr. n. saeculo ineunte legitur[9]) —, apud Plutarchum in his sententiis omnino non est, id quod mirum videtur, cum alii scriptores velut Aristeas[10]) Polybius[11]) Diodorus[12]) hac par-

---

[1]) Harsing p. 30.

[2]) Jaekel p. 26.

[3]) Jaekel p. 59.

[4]) Jaekel p. 88.

[5]) Glatzel p. 71.

[6]) Scham p. 85.

[7]) Benseler, de hiatu in oratoribus Atticis . . (1841 Freiburg) p. 14. Rarae huius apud ceteros oratores particulae exempla enumerat Schoemannus ad Isaeum p. 254.

[8]) Bonitz ind. Aristot. p. 200 b 39.

[9]) Meisterhans-Schwyzer [3] p. 253.

[10]) Cf. observ. gramm. in edit. Wendl. p. 221.

[11]) Kaelker, quaest. de elocut. Polybiana. Leipz. Stud. III (1880) p. 243; Stich p. 204/205; Vandaele p. 222.

[12]) J. Jessen, de elocut. Philonis Alexandr. Grat.-Schrift f. H. Sauppe

ticula uti soleant, ut vocalium concursum devitent. Ne ab atticistis quidem aliena est; Philodemus[1]), Dionysius Hal.[2]), Strabo[3]), Ps.-Longinus[4]) nonnulla exempla in sententiis enuntiativis praebent, item Clemens[5]). Dio autem et Philostratus secundus cum Plutarcho congruunt et *διότι* in his sententiis evitant. Qua in re Platonem sequi videntur, qui hac particula nisi in enuntiatis causalibus usus non est[6]).

Quomodo autem Plutarchus coniunctionibus *ὡς* et *ὅτι* usus sit, hac tabula demonstratur:

optativus obliquus pendet

	ex *ὡς*	ex *ὅτι*
in vit. par.	165^{ies}	38^{ies}
in mor.	26^{ies}	13^{ies}
	191^{ies}	51^{ies};

indicativus praeterito tempore praecedente legitur pro optativo obliquo in enuntiatis pendentibus

	ex *ὡς*	ex *ὅτι*
in vit. par.	260^{ies}	271^{ies}
in mor.	64^{ies}	165^{ies}
	324^{ies}	436^{ies}.

Itaque Plutarchus in universum coniunctione *ὅτι* paulo rarius (487^{ies}) quam *ὡς* (515^{ies}) utitur; neque est quod miremur, cum particula *ὡς* et ante vocalem et ante consonantem, *ὅτι* autem — iis locis exceptis quibus hiatus admissus est[7]) — ante consonantem tantum inveniatur. Sed optativum obliquum multo saepius post *ὡς* usurpavit Plutarchus quam post *ὅτι*, qua in re cum Dionysio et Diodoro et Strabone plane congruit.

(1889 Hamburg) p. 8. H. Kallenberg, „Hiatusscheu b. Dionys v. Hal. u. Textkritik" Rh. Mus. 67 (1912) p. 16/17.

1) Glatzel p. 27.

2) Schmid, Att. I 52. — Kallenberg l. l. p. 18.

3) Glatzel p. 71.

4) Tröger p. 36.

5) Scham p. 86.

6) Kallenberg, „*ὅτι* u. *ὡς* bei Platon . ." Rhein. Mus. 68 (1913) p. 467.

7) Weissenberger p. 19. — Etiam Dionysius post *ὅτι* hiatus quosdam admittit velut *ὅτι οὐ*; cf. Kallenberg, Rh. Mus. 67 (1912) p. 19.

Tempora quibus Plutarchus in his sententiis utitur, imprimis praesens et aoristus sunt; invenimus autem optativum praesentis 125^{ies}, aoristi 82^{ies}, quae ratio plane contraria ei est, quam in universum inter numerum optativorum praesentis et aoristi apud Plutarchum intercedere supra (p. 23) vidimus. Praeterea in his constructionibus optativum futuri reperimus, quem a scriptoribus Graecis nisi in sermone obliquo pro indicativo futuri orationis rectae omnino non usurpatum esse constat[1]). Quo optativo Plutarchus 18 locis utitur, ita ut non modo Diodorum, Dionysium, Strabonem, sed etiam Polybium in hac re longe superet, cum illi optativo futuri nusquam, hic autem rarissime in hoc sententiarum genere usus sit[2]). Quod autem maius est, ne Dio quidem Chrys. aut Philostratus II. Plutarchum hac in re adaequant; apud illum enim quater, apud hunc decies optativus futuri positus est[3]). Uno loco in Clementis libris reperitur, ita autem ut appareat huius optativi usu colorem et elegantiam Atticorum eum efficere studuisse[4]). Ex quo Plutarchum in hac quoque re ad Atticorum exemplum elocutionem suam conformavisse patet, quorum in libris optativus futuri haud raro exstat, imprimis apud Xenophontem Platonem Thucydidem Demosthenem[5]).

Restat ut nonnulla afferam, quae Plutarchi in usu huius optativi obliqui propria sunt. Obliquum enim optativum in sententiis enuntiativis a classicis post secundaria tantum tempora fere usurpari constat; invenimus autem apud Plutarchum nonnullos locos qui ab hac lege grammaticorum recedentes mentione digni videantur:

1. Optativus obliquus post praesens quod dicitur historicum legitur his tribus locis:

Luc. 23 (II 525, 3): *φράζει οὖν τις, ὡς . . εἴη*
Ant. 33 (IV 375, 27): *ἀπαγγέλλεται . ., ὅτι . . ἀπεκτόνοι*
Art. 12 (V 115, 29): *φράζει, ὡς αὐτὸς ἴδοι.*

[1]) Klemens p. 27. — Fassbaender p. 57. — Kühner-Gerth II 1 § 389, 5 a.

[2]) Stich p. 193.

[3]) Jaekel p. 24. 57.

[4]) Scham p. 87.

[5]) Fassbaender p. 59. — Vandaele p. 212 sq.

Quod praesens pro tempore praeterito non ita raro usurpari constat; quam ob rem saepenumero optativus obliquus — similiter atque in lingua Latina coniunctivus imperfecti aut plusquamperfecti — ex hoc praesenti pendet. Itaque haec tria exempla in iis, quae e praeterito pendent, numeravi.

2. Optativus obliquus post formulas quasdam velut *λέγεται* vel *ὁμολογεῖται* sim. positus est[1]); cuius rei haec 10 exempla Plutarchus praebet:

Rom. 12 (I 46, 5): *ὅτι . . γένοιτο*[2]), *ὁμολογεῖται*
aet. phys. M. 917 F: *λέγεται . ., ὡς . . ἁφαρπάσειε*
Num. 1 (I 117, 18); Demosth. 26 (IV 232, 12);
Ant. 9 (IV 354, 17); Ant. 11 (IV 356, 19)
Flam. 20 (II 280, 7): *ἔνιοι μὲν οὖν λέγουσιν, ὡς . . διαφθείρειεν αὐτόν*
def. or. M. 417 E
Alc. 3 (I 378, 19): *ἐν δὲ ταῖς Ἀντιφῶντος λοιδορίαις γέγραπται . ., ὅτι . . κτείνειεν*
Caes. 61 (III 422, 22).

Etiam in scriptis non genuinis exemplum simillimum est:
de mus. M. * 1133 A: *περὶ δὲ Κλονᾶ, ὅτι . . πεποιηκὼς εἴη, μνημονεύουσιν οἱ ἀναγεγραφότες.*

Quae sermonis consuetudo Plutarcho cum compluribus aliis aetatis posterioris scriptoribus communis est, velut Polybio[3]). Maxime autem Strabo optativum post praesens vel perfectum auctoris quod vocant adamavit; 30 talia exempla apud eum reperiuntur[4]). Minor numerus exemplorum apud Dionem et Philostratum II. est[5]).

3. Simili modo optativum obliquum saepe iis invenimus locis, quibus Plutarchus verba scriptoris alicuius affert, qua in re his formulis uti solet:

(*Κικέρων*) *ἱστορεῖ* vel *ἱστόρηκε* vel *γέγραφε* sim.

---

[1]) Weissenberger p. 30.
[2]) E. Kurtz („Miscellen z. Plut. vitae u. apopth." [1888 Leipz.] p. 4) *γίνεται* scribi vult.
[3]) Vandaele p. 224/225.
[4]) Glatzel p. 71.
[5]) Sena exempla: Jaekel p. 25. 58.

Philop. 7 (II 239, 30): *τοῦ μὲν Ἀντιγόνου σπουδάσαντος, ὅπως στρατεύοιτο μετ' αὐτοῦ*
Demetr. 11 (IV 303, 2): *ἔγραψεν, ὅπως .. θεωροὶ λέγοιντο*

βββ) opt. aor. (9^{ies}):

Phoc. 35 (IV 33, 13): *ἠξίουν τινὲς προσγράφειν, ὅπως καὶ στρεβλωθεὶς .. ἀποθάνοι*
Alc. 28 (I 405, 22): *ἐκέλευσεν .. παραφυλάσσειν, ὅπως μηδεμία τοῖς πολεμίοις .. γένοιτο προαίσθησις*
Per. 32 (I 332, 20): *Δρακοντίδου γράψαντος, ὅπως οἱ λόγοι τῶν χρημάτων .. εἰς τοὺς πρυτάνεις ἀποτεθεῖεν, οἱ δὲ δικασταὶ .. κρίνοιεν*

δ) enuntiatum finale pendet ex *ὅπως ἂν* (bis):

αα) integrum

VII sap. conv. M. 159 C: *πᾶσαν φθείρεται φθοράν, ὅπως ἂν θατέρου τροφὴ γένοιτο* [1])

ββ) non integrum

Lyc. 15 (I 96, 1): *τῆς νύμφης ἐπιτεχνωμένης καὶ συνευπορούσης, ὅπως ἂν λανθάνοντες ἀλλήλοις συμπορεύοιντο*

ε) enuntiatum finale pendet ex *ἵνα* (6^{ies}):

αα) opt. praes. (quater):

Philop. 15 (II 250, 22): *συνεβούλευσεν .. τοὺς πονηροὺς .. διαφθείρειν, ἵνα .. ἧττον ἐνοχλοῖεν αὐτοῖς*
Pel. 3 (II 84, 29): *ὥρμησε .. τοῖς ἀξίοις βοηθεῖν, ἵνα κύριος .. φαίνοιτο χρημάτων γεγονώς*
Ant. 80 (IV 418, 25); quaest. conv. VII M. 702 F

ββ) opt. aor. (bis):

amat. M. 750 A: *ἵν' οὖν μὴ .. ἀλλήλους .. εἰς ὀργὴν προαγάγοιεν, .. παρεγένοντο*
de garrul. M. 509 E

---

[1]) Wilamowitzius (Herm. XXV [1890] p. 223) *γένηται* scribendum esse propter praesens antecedens censet. Nihil autem est quod mutemus, cum optativus post tempus primarium in his constructionibus saepius inveniatur (cf. p. 109), id quod iam Bernardakis (in vol. IV. praef. p. 43) recte monuit.

ζ) enuntiatum finale pendet ex μή (5^{ies}):

αα) opt. praes. (semel):

Ant. 79 (IV 418, 18): τὴν ἐσθῆτα, μὴ κρύπτοι τι φάρμακον, ἐξέσεισεν

ββ) opt. aor. (quater):

Luc. 26 (II 529, 22): οὐδ' ἀνέμεινεν αὐτὸν ὁ Τιγράνης, μὴ μετάσχοι τῆς δόξης

Luc. 3 (II 498, 20): ἐφοβήθη διώσασθαι, μὴ .. ἐπιβουλευθείη κατὰ θάλατταν

Mar. 23 (II 353, 14); amat. M. 753 B.

Invenimus igitur optativum obliquum in enuntiatis finalibus 196 locis, quorum 160 in vitis, 36 in moralibus sunt. Ut autem cognoscamus, quemadmodum Plutarchus optativo in his enuntiatis usus sit, hunc numerum cum numero locorum, quibus optativus obliquus tempore praeterito antecedente evitatus est, comparari oportet.

Modorum enim usum in sententia finali a temporibus Homeri usque ad Plutarchi aetatem maxime diversum videmus esse, quam rem paucis absolvere possum, cum iam a compluribus viris doctis tractata sit[1]). Atque Homerus quidem post tempus secundarium optativum obliquum coniunctivo magnopere praefert, praecipue cum coniunctio finalis impura, i. e. particulis κε vel ἄν instructa est[2]). Quem ceteri poëtae, non modo epici, sed etiam lyrici tragici comici sequuntur[3]), non omnes prosae orationis scriptores. Namque Herodotus et praecipue Thucydides tempore praeterito antecedente coniunctivo multo saepius

[1]) Ph. Weber libr. laud. — Mentione digna est tabula (fasc. 2 p. 103) qua demonstratur, qualis ratio inter coniunctivum et optativum praeterito antecedente in his enuntiatis ab Homero usque ad Xenophontem fuerit. — Diel libr. laud. § 5. — Vandaele p. 92—133. — J. Knuenz, de enuntiatis Graecorum finalibus (comment. Aenipont. VII 1913) p. 15—26.

[2]) Weber fasc. 1 p. 51. — Vandaele p. 106. — C. Hentze, „Z. Entwicklungsgesch. d. Finals. auf Grund d. homer. Epen" (Phil. XIX [1906] p. 161—192). — A. Mein, de opt. obl. usu Homerico partes II. de sententiis orationis obl. secundariis: cap. I: de sentent. final. (1907 Bonn.) p. 11 sq.

[3]) De poët. ep. et lyr.: Weber fasc. 1 p. 78. — De poët. scaenicis: Weber fasc. 1 p. 79—125. — Vandaele p. 106.

quam optativo obliquo utuntur[1]), et apud oratores Atticos coniunctivorum numerus idem fere atque optativorum est[2]). Contra Plato et Xenophon post tempus praeteritum semper fere optativum ponunt[3]). Sed paulo post hos scriptores optativus obliquus coniunctivo cedere incipit, ita ut neque apud Aristotelem neque apud Theophrastum ullum eius exemplum in enuntiato finali inveniamus[4]). Etiam ex inscriptionum[5]) et papyrorum[6]) sermone optativi in sententia finali usus evanescit, quod idem cadit in scriptores *κοινῆς*, velut Polybium[7]) et Diodorum[8]), et in Novi Testamenti libros, in quibus particulae finales semper cum coniunctivo coniunguntur[9]). Tum autem 'optativi vis atque auctoritas latius rursus patere incipit'[10]), cum atticistae hunc modum universum renovare studeant. Itaque in finali quoque enuntiato optativus obliquus denuo in maiore est usu, ita ut hac potissimum nota scriptores atticismum profitentes agnoscere possimus[11]). Cuius rei multa exempla inveniuntur apud Dionysium Halicarnaseum[12]), Strabonem[13]), Iosephum[14]); saepissime autem haec structura a Luciano[15]), Arriano, Appiano[16]), Philostrato secundo (in 'vit. Apoll.' et 'vit. soph.')[17]), Philostrato tertio (in 'Heroico' et 'Imaginibus')[18]) usurpata est. A quibus

---

[1]) Büttner, „V. Konj. u. Optat." (Schweidnitz 1879) p. 13. — Weber fasc. 1 p. 134 (de Herod.); fasc. 2 p. 10 (de Thuc.).

[2]) Weber fasc. 2 p. 46. — Vandaele p. 106.

[3]) Weber fasc. 2 p. 90.

[4]) Schmid, Att. III 83. — Knuenz p. 18.

[5]) R. Amelung, de Polybii enuntiatis finalibus (Halis Sax. 1901) p. 37. 42.

[6]) Harsing p. 33.

[7]) Amelung p. 17. — Kaelker p. 288. — Stich p. 193.

[8]) Kapff p. 69.

[9]) Winer [7] (1867 Leipzig) p. 271. — Blass [2] p. 225.

[10]) Diel p. 22.

[11]) St. Witkowski, Burs. Jahresb. 159 (1912) p. 249.

[12]) Schroefel p. 68—73.

[13]) Vandaele p. 106. — Glatzel p. 78 sq.

[14]) W. Schmidt p. 403—410.

[15]) H. Heller, „D. Absichtssätze b. Lucian" (symb. Joachim. 1880 Berlin) p. 284.

[16]) Diel p. 22. — Witkowski, Burs. Jahr. 159 p. 249.

[17]) Jaekel p 63/64.

[18]) Jaekel p. 91.

unus Dio Chrysostomus discedit, qui etiam praeterito tempore antecedente coniunctivum optativo aliquanto praefert[1]). Clemens quoque, quod ad numerum exemplorum optativi obliqui attinet, a sermone vulgari paulum recessit[2]).

Quomodo autem Plutarchus optativo obliquo in enuntiatis finalibus usus sit, hac tabula illustratur:

Optativus obliquus post praeteritum invenitur

in vitis par.	156^{ies}
in moralibus	30^{ies}
	186^{ies};

coniunctivus post tempus praeteritum positus est

in vitis par.	161^{ies}
in moralibus	83^{ies}
	244^{ies}.

Quos numeros si inter se comparamus, haec ratio apud Plutarchum conspicitur:

opt. obl. : coni. = 186 : 244 = 1 : 1,3.

Apud alios autem scriptores hanc invenimus rationem:

apud Strabonem[3])	1 : 0,22
Dionysium[4])	1 : 1,8
Dionem Chrys.[5])	1 : 3,3
Clementem[6])	1 : 7,1
Philonem[7])	1 : 11
Diodorum[8])	1 : 22,4
Polybium	1 : 39.

Qui omnes Strabone excepto a Plutarcho longe superantur, quem non solum magis quam scriptores aetatis hellenisticae,

---

[1]) H. Geyr, „D. Absichtssätze b. Dio Chrysostomus" (Progr. Wesel 1897) p. 9. 18. — Jaekel p. 29/30.

[2]) Scham p. 110.

[3]) Glatzel p. 80.

[4]) Schroefel p. 71.

[5]) Jaekel p. 28.

[6]) Scham p. 110.

[7]) J. Unna, „Über d. Gebrauch d. Absichtssätze bei Philo v. Alex." (1895 Würzburg) p. 28 sq.

[8]) Kapff p. 69.

sed etiam magis quam atticistas supra allatos optativum in his enuntiatis adamasse facile intellegimus. Cedit autem aliis II. p. Chr. n. saeculi scriptoribus, ut Arriano, Appiano, Philostrato sec., Philostrato tertio, apud quos coniunctivus in enuntiato finali e praeterito pendente paene prorsus evanuit [1].

Ut in modorum, ita in particularum finalium usu differentiae quaedam inter scriptores singulos observantur, de quibus ab iisdem viris doctis supra commemoratis disputatum est [2]. Qui nos docent et numerum particularum, qui apud Homerum non exiguus est, paulatim imminutum et particulas ipsas a singulis scriptoribus minime eodem modo usurpatas esse. Homerus enim — ut summas tantummodo res attingam — et poëtae epici lyricique saepissime *ὄφρα* particula utuntur, velut praeter illum Hesiodus, Pindarus, Homericorum poëtae hymnorum. Tragici autem huius particulae usu plane neglecto *ὡς* coniunctionem praeferunt, praeterea — etsi rarius — *ὅπως* et *ἵνα*. Quibus contrarii sunt Aristophanes, Herodotus, Plato, oratores Attici, qui una fere particula *ἵνα* utuntur. Apud Xenophontem quoque *ἵνα* saepissime usurpatur; sed *ὅπως* coniunctio etiam crebrius legitur, ita ut numero exemplorum illam paulo superet. Cuius similis Thucydides est, qui idem *ὅπως* particula saepissime utitur; aliquanto rarius *ἵνα* apud eum legitur. Apud posteros quoque scriptores *ὅπως* fere praevalere statuendum est excepto Polybio, qui *ἵνα* tantopere ceteris particulis finalibus praefert, ut non multum afuerit quin enuntiata finalia ad unam revocaret particulam. Apud Dionysium quoque *ἵνα* omnes alias particulas numero longe superat [3]; similiter res se habet apud Iosephum [4] et Philonem [5]. Strabo Xenophontis usui appropinquat, cum praeter *ἵνα* haud raro particulam *ὅπως* usurpaverit [6], item Ps.-Longinus [7]. Apud Dionem Chrys. *ἵνα* paulo

---

1) Diel p. 18—19. — Jaekel p. 63/64. 91.

2) Weber fasc. 2 p. 97—100. p. 117—118. Diel § 3. Vandaele p. 94—104. Knuenz p. 9—15. 26—29.

3) Schroefel p. 72.

4) W. Schmidt p. 405 adn. 7.

5) Unna p. 23.

6) Vandaele p. 100. — Glatzel p. 80.

7) Tröger p. 36.

crebrius quam ὅπως est[1]. Denique Arrianus[2], Ps.-Demetrius (περὶ ἑρμηνείας)[3], Lucianus[4], Philostratus II. (in 'vit. Apoll.' et 'vit. soph.')[5], Philostratus III., scriptor 'Heroici' et 'Imaginum'[6], particulae ὡς e Xenophontis temporibus magnopere neglectae usum renovant et tantopere augent, ut ceteris coniunctionibus — cum ἵνα tum ὅπως particulae — frequentia longe praestet. Contra apud Clementem ἵνα denuo latissime patet; ὅπως et ὡς pariter neglecta sunt[7]. Quocum congruunt recentiores ut Achilles Tatius[8] et Xenophon Ephesius[9], qui ad ἵνα particulam redierunt.

Videamus igitur, qualis apud Plutarchum coniunctionum finalium usus sit. Invenimus optativum obliquum pendentem e particulis

ὡς	in vit. par.	76ies,	in mor.	10ies	=	86ies
ὡς ἂν	„	6ies,	„	bis	=	8ies
ὅπως	„	70ies,	„	19ies	=	89ies
ὅπως ἂν	„	semel,	„	semel	=	bis
ἵνα	„	ter,	„	ter	=	6ies
μὴ	„	quater,	„	semel	=	5ies
		160ies		36ies	=	196ies.

Coniunctivus autem praeterito antecedente pendet e particulis

ὅπως	in vit. par.	114ies,	in mor.	44ies	=	158ies
ἵνα	„	30ies,	„	34ies	=	64ies
μὴ	„	10ies,	„	bis	=	12ies
ὡς	„	5ies,	„	semel	=	6ies
ὡς ἂν	„	bis,	„	bis	=	quater
		161ies		83ies	=	244ies.

[1]) Geyr p. 4/5. — Jaekel p. 30.
[2]) Diel p. 15.
[3]) Dahl p. 29/30.
[4]) Heller p. 295 sq.
[5]) Schmid, Att. IV 88. — Jaekel p. 63.
[6]) Jaekel p. 91.
[7]) Scham p. 104.
[8]) Sexauer p. 36.
[9]) Mann p. 29.

Itaque coniunctionem ὅπως Plutarchus multo crebrius (247ies) quam omnes alias particulas finales usurpat; mavult autem hanc particulam cum coniunctivo quam cum optativo coniungere, ita ut numerus coniunctivorum (158) numerum optativorum (89) dimidia fere parte superet. Itaque ὅπως coniunctio apud eum plane eiusdem est momenti atque ἵνα apud Dionysium[1]. Secundum locum ὡς particula obtinet, quae 92ies exstat; asciscit autem perpaucis locis exceptis optativum; eadem res apud Diodorum[2], Dionysium[3], Philonem[4], Clementem[5], alios scriptores aetatis posterioris[6] observata est. Et increbrescit haec coniunctio a Dionysii temporibus, quin etiam postea eam tam late patere vidimus (cf. p. 106), ut ἵνα particulam frequentia longe superet. Paulo rarius quam ὡς coniunctio ἵνα apud Plutarchum invenitur (70ies), e qua semper fere coniunctivus pendet. In universum enim usus huius particulae, quae usque ad Dionysium et Iosephum frequentia coniunctionem ὅπως adaequabat, quin etiam non raro superabat[7], a Plutarchi aetate imminuitur. Apud vulgaris tantum sermonis scriptores ἵνα usitata coniunctio est, velut apud Teletem[8] et Aristeam[9], postea apud Vettium Valentem, maxime autem apud Epictetum, qui hac particula non modo in omnibus enuntiatis finalibus, sed etiam infinitivi loco — θέλω ἵνα apud hunc structura haud rara est[10] — et pro particulis ὥστε, οἷος, ἐφ' ᾧ τε utitur[11].

Denique impurae quae dicuntur particulae finales ὅπως ἄν

[1] Schroefel p. 72/73.
[2] Kapff p. 69.
[3] Schroefel p. 73.
[4] Unna p. 38.
[5] Scham p. 106. 108.
[6] Diel p. 23.
[7] Cf. tabulam quam confecit Dielius p. 15.
[8] Cf. indicem edit. (Hense² 1909 Tub.) s. v. ἵνα.
[9] Vide ind. s. v. ἵνα (Wendl. 1900).
[10] Mentione dignum est eandem structuram in Graeca nostrae aetatis lingua conservatam esse; locutio enim θέλω νά c. coni. pro classica βούλομαι c. inf. usurpatur; ex quo intellegitur, quomodo sit factum ut infinitivus paulatim evanesceret (cf. Hatzidakis p. 214/215 — Dieterich p. 209).
[11] Melcher p. 80 sq.

et ὡς ἂν a Plutarcho hic illic usurpatae sunt, quae etsi apud scriptores classicos non saepe inveniuntur [1]), tamen in inscriptionibus Atticis usque ad imperatorum aetatem Romanorum adeo praevalent, ut ceterae particulae fináles paene prorsus abisse videantur [2]). Contra hellenistici scriptores raro particulis impuris utuntur: apud Polybium nullum [3]), apud Diodorum unum huius usus exemplum invenitur [4]). Etiam a Novi Testamenti libris hae particulae paene prorsus alienae sunt [5]), non minus a Philone, qui duo tantum exempla praebet [6]). Atticistae autem classici sermonis proprias putantes eas in usum revocant. Itaque apud Dionysium ὡς ἂν quater [7]), apud Dionem Chrysostomum bis [8]), apud Plutarchum octies cum optativo coniunctum invenimus; praeterea Plutarchus quattuor locis (Alex. 38 (III 323, 28); Cat. min. 30 (IV 64, 5); M. 781 D; M. 863 C) coniunctivum post hanc particulam posuit. Quocum congruit Lucianus, apud quem ὡς ἂν c. opt. 9ies, c. coni. 8ies coniunctum est [9]); etiam Appianus, Aelianus, Herodianus ὡς ἂν satis saepe adhibent [10]). Plurima autem huius structurae exempla apud Iosephum invenimus, cui adeo in deliciis est, ut ὡς ἂν 41ies — 27ies c. opt., 14ies c. coni. coniunctum — reperiatur [11]). Coniunctio ὅπως ἂν apud posteriores minore in usu est, quamquam apud classicos quosdam ut Platonem Xenophontem Aristophanem alteri minime cedit [12]). Quae apud Dionysium post tempus praeteritum omnino non invenitur; in Plutarchi scriptis duobus tantum locis posita

[1]) Weber fasc. 2 p. 100. 118. — Schmid, Att. IV 88. — Vandaele p. 100. — Knuenz p. 13—15. 27—29. — St. Witkowski, Ber. über d. Litt. z. Koine aus d. J. 1903—1906 (Burs. Jahrb. 159 [1912]) p. 13.

[2]) Weber fasc. 2 p. 3—5. — Vandaele p. 101. — Meisterhans-Schwyzer [3] p. 253 sq.

[3]) Diel p. 18.

[4]) Kapff p. 67/68.

[5]) Winer [7] p. 290/291.

[6]) Unna p. 26/27.

[7]) Schroefel p. 73.

[8]) Geyr p. 13.

[9]) Heller p. 302/303.

[10]) Diel p. 18. — Knuenz p. 15.

[11]) W. Schmidt, de Fl. Ios. eloc. . . p. 410.

[12]) Knuenz p. 14.

est, quibus optativum asciscit. Etiam apud Iosephum haec particula raro (quater) in codicibus omnibus tradita est, ita ut Guil. Schmidt his locis ἂν eiciendum esse censeat[1]). Totidem loci (4) apud Clementem reperiuntur[2]); singula exempla praebent Dio Chrys. et Philostratus II.[3]) Plane deest particula in Luciani Appiani Herodiani libris[4]). Contra in Procopii rerum scriptoris libris saepe optativus huic particulae additus est[5]).

Atque haec quidem de modorum et coniunctionum in enuntiatis finalibus usu; sequitur ut de nonnullis constructionibus mentione dignis, quae in his sententiis sunt, disseram.

Invenimus enim interdum optativum obliquum enuntiati finalis e tempore primario pendentem; cuius rei haec 10 exempla apud Plutarchum reperiuntur — ut praetermittam duos locos (Crass. 28 [III 75, 19]; Caes. 28 [III 392, 29]), quibus optativus e praesenti historico pendet —:

α) post ὡς (5 loc.):

Arist. 15 (II 178, 22): *ἥκω . . ὡς μὴ τὸ αἰφνίδιον ἐκπλήξειεν ὑμᾶς*

Demosth. 2 (IV 210, 4); def. or. M. 424 A; gen. Socr. M. 579 F; quaest. conv. VI M. 688 A

β) post ὡς ἂν (semel):

praec. reip. ger. M. 815 C: *πειράσεται τὸ ταρασσόμενον . . διοικεῖν, ὡς ἂν . . ἥκιστα δέοιτο*

γ) post ὅπως (3 loc.):

Popl. 20 (I 210, 30): *κόπτουσι . . τὰς αὐτῶν θύρας . ., ὅπως αἴσθησις . . γένοιτο*

Aem. Paul. 34 (II 74, 28); VII sap. conv. M. 147 E

δ) post ὅπως ἂν (semel):

VII sap. conv. M. 159 C: *πᾶσαν φθείρεται φθοράν, ὅπως ἂν θατέρου τροφὴ γένοιτο.*

---

[1]) W. Schmidt p. 409.
[2]) Scham p. 104.
[3]) Jaekel p. 30. 63.
[4]) Diel p. 18. — Knuenz p. 15.
[5]) Hartmann p. 28.

Sed haec structura non Plutarchi unius propria est; invenitur enim apud plurimos scriptores Graecos[1]); iam apud Homerum et poëtas tragicos hanc consuetudinem sermonis observamus, saepius apud Xenophontem; deinde oratores Attici nonnulla exempla praebent[2]). Ne atticistae quidem hanc constructionem aspernantur: apud Dionysium octies invenitur[3]) neque a Philone[4]), Strabone[5]), Iosepho[6]), Appiano[7]) aliena est; saepissime autem a Luciano usurpatur, apud quem optativus non modo e tempore praesenti, sed etiam e futuro pendet[8]). Posteri quoque scriptores velut Dio Chrysostomus[9]), Aristides[10]), Philostrati[11]), Aelianus, Arrianus[12]) hac structura utuntur neque emoritur usque ad Libanii et Achillis Tatii[13]) aetatem; quin etiam in papyris Aegyptiis III. et IV. saeculi p. Chr. n.[14]) et apud patres apostolicos[15]) hic optativi usus observatus est, quo atticismum illa aetate ad vulgaris quoque sermonis scriptores vim quandam habuisse demonstratur. Scriptoribus modo allatis addatur Clemens, qui tempus enuntiati primarii adeo non respicit, ut plurima optativi exempla post tempus primarium exhibeat[16]).

Duo exempla simillima in scriptis non genuinis Plutarchi inveniuntur:

---

1) Weber fasc. 2 p. 101—102. — Diel § 6. — Vandaele p. 104 sq. — Knuenz p. 20/21.

2) Itaque iniuria Weissenberger (p. 32) hunc usum ab Atticorum genere dicendi abhorrere censet.

3) Schroefel p. 72.

4) Unna p. 35.

5) Vandaele p. 112. — Glatzel p. 82.

6) W. Schmidt p. 406.

7) Diel p. 26.

8) Du Mesnil p. 15. — Heller p. 308 sq. — Schmid, Att. I 243. — Vandaele p. 113—115.

9) Geyr p. 8. — Jaekel p. 28 sq.

10) Schmid, Att. II 59.

11) Schmid, Att. IV 88/89. — Jaekel p. 62 sq. 90 sq.

12) Dahl p. 31.

13) Sexauer p. 37.

14) Harsing p. 33.

15) Reinhold p. 112.

16) Scham p. 103 sq. (7 exempla post tempus secundarium, 20 post primarium).

lib. ed. M.* 4 F: ὅσθ' ἵνα μὴ πλείονα μισθὸν τελέσειαν, ἀνθρώπους . . αἱροῦνται

epit. libr. d. an. procr. in Tim. M.* 1030 F: λέγει δὲ τὴν κακίαν . . βλάστημα τῆς ὕλης γεγονέναι, ἵνα μὴ . . τὸ θεῖον αἴτιον τῶν κακῶν νομισθείη.

Quibus 10 locis addendus est unus quo optativus obliquus enuntiati finalis ex optativo potentiali pendet:

amat. M. 753 B: ἐρᾶν δὲ φάσκουσαν γυναῖκα φυγεῖν τις ἂν ἔχοι . ., μή τι γε λάβοι,

quae constructio attractione quadam modorum orta videtur esse [1]) et apud alios quoque scriptores velut Lucianum [2]) reperitur. Etiam in scriptis subditis unum huius structurae exemplum legitur:

apopth. Lac. M.* 224 B: οὐδ' ἂν ἀνέλοιμεν, ἔφη, ὡς ἂν γυμναστὰς τοῖς νέοισιν ἔχοιμεν.

Similem rem supra (p. 87) statuimus, quo loco in sententia secundaria optativus obliquus, in primaria autem infinitivus potentialis positus est.

Sed etiam alia constructio in his enuntiatis digna est quae commemoretur; est enim ubi Plutarchus enuntiato finali ad alias sententias exprimendas utatur; praecipue pro structura consecutiva non raro enuntiatum finale usurpatum est [3]), velut

ad. ab am. inter. M. 67 F: μὴ γένοιτό σοι οὕτως . . κακῶς, ἵν' ἐμοῦ ταῦτα σὺ βέλτιον εἰδῇς.

Semel etiam optativum obliquum in tali constructione invenimus:

Aem. Paul. 32 (II 72, 19): τὰ κάλλιστα . . τῶν . . ὅπλων ἐπέμπετο πολλαῖς ἁμάξαις . . τήν τε θέσιν ἐκ τέχνης . . ὡς ἂν μάλιστα συμπεφορημένοις χύδην . . ἐοίκοι, πεποιημένα.

Quae structura ut sermonis vulgaris propria [4]), ita ne ab atticistis quidem aliena est, ut Aeliano et Philostrato secundo [5]);

---

[1]) Kühner-Gerth II 2 § 553, 4 b.

[2]) Heller p. 311.

[3]) Diel p. 38/39.

[4]) Moulton p. 333. — Adde quae supra (p. 107) de Epicteti usu dixi.

[5]) Schmid, Att. III 81. IV 88

apud Clementem quoque 9ies ἵνα in enuntiato consecutivo positum est [1]).

Alio loco

Pyrrh. 20 (II 309, 28): τοὺς αἰχμαλώτους ἐκείνῳ μόνῳ διεπίστευσεν, ὅπως . . ἀποπεμφθεῖεν πάλιν

coniunctio ὅπως idem fere valet quod ἐφ' ᾧ (= Latine 'ea condicione ut') [2]).

Etiam hic enuntiatorum finalium usus apud alios illius aetatis scriptores observatur, imprimis apud Iosephum, rarius apud Polybium, Diodorum, Dionysium [3]); Lucianus duo huius usus exempla praebet [4]) neque ignorat eum Pseudo-Libanius [5]) auctor declamationis (XVIII) Hyperidis t. VI p. 250, 17 ed. F. —

Deinde nonnulla de temporibus, quibus Plutarchus in enuntiatis finalibus utitur, dicenda sunt. Invenimus eundem fere numerum optativorum praesentis (91) atque aoristi (102), ita ut Plutarchum in his exemplis aoristum paulo magis (praes. : aor. = 1 : 1, 12) repressisse quam in optativo universo (1 : 1, 38) statuendum sit. Quod idem cum supra in sententiis enuntiativis et interrogationibus indirectis observatum sit, apparet non casu accidisse, sed Plutarchi studio Atticis appropinquandi effectum esse. Praeterea futuri optativus duobus locis ex ὅπως pendens (cf. p. 100) in enuntiato finali integro usurpatus est, qui usus apud scriptores Graecos tam raro invenitur, ut perpauca talia exempla sint, apud Platonem (Rep. III p. 393 e), Demosthenem (42, 5; cod. Σ indicativum praebet), Xenophontem [6]). E posterioribus autem scriptoribus apud Plutarchum unum, quod sciam, haec sermonis consuetudo observatur; quam ob rem num recte Plutarchi verba codicibus sint tradita dubito. Accedit quod utroque loco correctura facillima est: priore loco (Phoc. 20) ἔσοιτο in γένοιτο et altero (Cat. min. 70) φράσοι in φράζοι Foerstero auctore facile mutaverim.

Maiore in usu quam optativus futuri indicativus in enun-

[1]) Scham p. 97.
[2]) Diel l. l.
[3]) Diel § 11.
[4]) Heller p. 289.
[5]) Wyttenbach animadv. I p. 517 (ed. Oxon.); Foerster l. l. et t. VI p. 240.
[6]) Fassbaender p. 44. — Weber fasc. 2 p. 122/123. — Vandaele p. 120. 235.

tiatis finalibus integris et apud classicos et apud posteriores est; Plutarchus quoque aliquoties ὅπως c. ind. fut. in his enuntiatis coniunxit[1]).

Saepius optativus futuri in enuntiatis finalibus imperfectis usurpatus est, velut a Xenophonte Platone Isocrate Demosthene[2]). Apud Plutarchum autem hic usus non invenitur, etsi uno loco

Timol. 9 (II 9, 8): *Καρχηδονίους δὲ φροντίζειν ἐκέλευεν, ὅπως οὐκ ἐπιβήσοιτο . ., ἀλλ' . . διανεμοῦνται*

dubites, utrum sententia ex ὅπως pendens finalis an interrogatio indirecta intellegenda sit. Tamen pro hac habere malui cum aliis de causis tum propterea quod in his interrogationibus tria alia optativi futuri exempla reperiuntur (v. p. 88), in illis autem enuntiatis finalibus usus huius optativi Plutarchi aetate prorsus obsoletus et inusitatus est.

Uno loco

Aem. Paul. 34 (II 74, 28): *πλὴν εἴ τι δαιμόνιον . . εἴληχεν . ., ὅπως μηδενὶ . . ἄκρατος εἴη . ., ἀλλὰ . . δοκῶσι*

optativum obliquum membri prioris coniunctivus excipit. Exempla similia, etsi non prorsus desunt, tamen pauca reperiuntur (cf. supra p. 49), cum Plutarchus congruentiam modorum fere servaverit.

Denique pauca de negatione enuntiatorum finalium addantur. In sententiis finalibus integris semper μή negationem usurpari consentaneum est; in enuntiatis autem finalibus non integris, i. e. quae e verbis curandi, laborandi, operam dandi sim. pendent, scriptor saepius negatione οὐ utitur[3]). Qui usus eo explanari mihi videtur, quod memoria primariae, relativae vel interrogativae, significationis particulae ὅπως nondum prorsus apud Plutarchum evanuit[4]), quam ad rem optime quadrat quod hic scriptor aeque ac Dionysius classicorum usum secutus in enuntiatis finalibus non integris indicativum futuri totidem fere locis (29) quot coniunctivum et optativum universos (25)

---

1) Knuenz p. 23—26.
2) Fassbaender p. 25. — Vandaele p. 130/131. — Knuenz p. 32.
3) Stegmannus (p. 9) 21 exempla affert.
4) Stegmann p. 10.

usurpavit, ita ut intellexisse eum appareat, quid inter utrumque enuntiatorum finalium genus interesset [1]).

i) Cum enuntiatis finalibus coniungenda sunt ea, quibus timor vel cura aliqua exprimitur; invenimus in his optativum obliquum e particula μή pendentem his 13 locis:

α) opt. praes. (duobus locis):

Crass. 5 (III 44, 1): ἔδεισαν μὴ . . γνώριμον εἴη τὸ χωρίον
Nic. 14 (III 19, 32)

β) opt. aor. (11 loc.):

Tim. 4 (II 4, 29): δεδιότες μὴ πάθοιεν οἷα καὶ πρότερον
Galb. 10 (V 194, 8): φροντίδα παρεῖχε μὴ . . ὑπακοῦσαι τοῖς παρακαλοῦσιν αὐτὸν
Lyc. 15 (I 95, 31); Cor. 15 (I 431, 27); Them. 6 (I 224, 27); Crass. 11 (III 51, 16); Cic. 27 (IV 265, 1); Dio 9 (V 7, 27); Dion. 11 (V 9, 24); virt. mor. M. 442 F; Stoic. rep. M. 1054 E.

Quibus 13 exemplis optativi obliqui exceptis Plutarchus in his enuntiatis semper coniunctivo utitur, qui tempore praeterito antecedente 104ies invenitur; praeterea duobus locis (Them. 11 [I 231, 5]; Cleom. 28 [IV 153, 22]) indicativus post μὴ positus est, quem usum eo explicari puto, quod enuntiato secundario non iam timor ne quid fiat vel factum sit, exprimitur, sed inest in eo sententia quodammodo interrogativa, ita ut non tam enuntiatum timendi quam interrogatio indirecta sit. Quae sermonis consuetudo non Plutarchi unius propria, sed cum Atticis ei communis est, qui haud exiguum numerum exemplorum praebent, velut Thucydides Plato Xenophon Demosthenes. Inter poëtas Homerus semel (ε 300) indicativum post μὴ posuit [2]), quem Sophocles sequitur [3]). Deinde apud Polybium et Diodorum hic usus est, denique etiam apud Iosephum et, ut supra dixi, apud Plutarchum [4]).

---

[1]) Diel p. 30. — Knuenz p. 31.

[2]) C. Hentze, „Die Entwicklung d. Funktionen d. Partikel μή in d. hom. Ged." (Bezzenb. Beitr. 28 [1904] p. 229).

[3]) Weber fasc. 2 p. 94.

[4]) Diel p. 13. — Knuenz p. 38.

Verum ut ad id unde digressa est expositio, revertar, conspicimus apud Plutarchum hanc rationem inter numerum

optativorum et coniunctivorum:
13 : 104 = 1 : 8.

Eadem fere ratio apud Dionysium (1 : 8, 7) et Polybium (1 : 11) est; apud Diodorum autem uno tantum loco inter 78 coniunctivos hic optativus legitur [1]), et a Philone plane alienus est [2]). Multo magis quam hi omnes optativi usum Strabo amplificavit (opt. : coni. = 4 : 1 = 1 : 0, 25) [3]); etiam Arrianus (opt. : coni. = 1 : 0, 8) [4]) et Philostratus sec. (3 : 2 = 1 : 0, 66) [5]) hoc idem spectant. Strabonis usum adaequat Appianus (opt. : coni. = 55 : 14 = 1 : 0, 25) [6]); contra apud Dionem Chrys. coniunctivus praevalet (opt. : coni. = 1 : 2) [7]), etiam magis apud Clementem (1 : 10) [8]). Nusquam optativus in libris Novi Testamenti exstat.

Itaque Plutarchus, si cum his comparatur scriptoribus, optativum in enuntiatis timendi non nimis adamavit, neque magis quam Dionysio contigit ei ut classicos — imprimis Xenophontem Platonem oratores Atticos — assequeretur, qui Herodoto Thucydide Lysia exceptis optativum post tempus praeteritum in his enuntiatis coniunctivo magnopere praetulerunt [9]).

Quod ad tempora in sententiis supra enumeratis usurpata attinet, semper fere aoristo Plutarchus utitur; verba, e quibus pendent, plerumque *φοβεῖσθαι* et *δεῖσαι* vel *δεδιέναι* sunt. Mentione dignum est dimidio fere plures formas radicis *δι* — quam *φοβ* — apud Plutarchum inveniri [10]). Praeterea autem scriptor in enuntiato primario nonnullis verbis et locutionibus utitur, quae etsi notio timendi non proprie eis continetur, velut

---

1) Schroefel p. 73. — Kapff p. 72.
2) Kapff l. l. — Unna p. 15.
3) Glatzel p. 82.
4) Knuenz p. 37.
5) Jaekel p. 64.
6) Knuenz l. l.
7) Jaekel p. 30.
8) Scham p. 110.
9) Vandaele p. 121/122. — Knuenz p. 37.
10) Diel p. 12.

ἄχθεσθαι (Nic. 14), *αἰσχύνεσθαι* (Dio 11), *φροντίδα παρέχειν* (Galb. 10), tamen tamquam verba timendi coniunctionem *μή* asciscunt. —

Ut in enuntiatis finalibus, ita in his quoque optativus obliquus interdum e tempore primario pendet. Cuius rei tria inveni exempla apud Plutarchum:

Cic. 27 (IV 265, 1): *ὀρθῶς φοβεῖσθε . . μή μοι γένοιτο χαλεπὸς*
virt. mor. M. 442 F: *δέδοικα δὲ μὴ δόξαιμι*
Stoic. rep. M. 1054 E: *δῆλός ἐστι δεδιὼς μὴ . . διάλυσις . . γένοιτο.*

Neque est quod hos locos mutemus. Itaque reiciendae sunt coniecturae, quas fecerunt Schaefer, qui in primo exemplo (Cic. 27) *ἐφοβεῖσθε* pro *φοβεῖσθε*, Carolus Graux, qui eodem loco coniunctivum *γένηται* pro *γένοιτο*, Bernardakis, qui in secundo exemplo (M. 442 F) *δόξω μοι* pro *δόξαιμι* scribi vult. Accedit quod apud alios scriptores — etsi raro — haec sermonis consuetudo invenitur[1]), velut apud Homerum, Sophoclem, Aristophanem, saepius apud Lucianum[2]). Etiam Arrianus, Appianus, Clemens nonnulla huius structurae exempla praebent[3]).

k) Iam pergamus ad usum optativi obliqui in enuntiatis relativis generalibus pro coniunctivo c. part. *ἂν* coniuncto; quae idem fere significant quod enuntiata relativa iterativa (cf. p. 123), nisi quod in illis sententia iterativa minus expressa est. Quae constructio 36 locis est, quorum hos exempli causa profero:

α) opt. praes. (25 loc.):

Lyc. 26 (I 110, 4): *τῶν γυναικῶν ἣν μάλιστα τυγχάνοι τιμῶν, προσεκαλεῖτο*
Cat. min. 12 (IV 45, 31): *ὑποτιθέντων τὰ ἱμάτια τοῖς ποσὶν ᾗ βαδίζοι*
Num. 9 (I 129, 24): *διδάσκων ὅτου τις δέοιτο*
quaest. conv. VII M. 704 D: *ὡς ᾐσθάνετο τοὺς πολλοὺς . . παρέχοντας ὑφ' ἡδονῆς ὅ τι βούλοιτο χρῆσθαι*

---

1) Kühner-Gerth II 2 § 553 b, 4. — Knuenz p. 38.
2) Vandaele p. 122/123.
3) Diel p. 25/26 — Scham p. 110.

β) opt. aor. (11 loc.):

Pomp. 61 (III 253, 30): πυθέσθαι . . οὐδὲν ἦν ἀληθὲς αὐτῷ διὰ τὸ πολλοὺς ἀπαγγέλλειν ὅ τι τύχοιεν

Caes. 66 (III 428, 22): πρὸς ὅ τι τρέψειε τὴν ὄψιν, πληγαῖς ἁπάντων

Lyc. 26 (I 109, 26): ὅτῳ δὲ πλείστη γένοιτο . ., τοῦτον ἀνηγόρευον.

Invenimus igitur in his enuntiatis 36 exempla optativi obliqui, quorum 34 in vitis, 2 in moralibus sunt. Coniunctivus autem cum ἄν coniunctus 38[ies] post tempus praeteritum invenitur, ita ut hanc conspiciamus rationem:

opt. obl. : coni. = 36 : 38 = 1 : 1, 05.

Quam rationem cum ea comparemus, quae apud alios scriptores est!

Ratio inter numerum optativorum et coniunctivorum in his enuntiatis praeterito antecedente est[1])

apud	Diodorum	10 : 45	=	1 : 4, 5
	Polybium			1 : 5, 1
	Dionysium	26 : 210	=	1 : 8.

Quae tabula nos docet ab his scriptoribus optativum obliquum in enuntiatis relativis hypotheticis in universum satis saepe usurpatum esse, saepissime autem a Plutarcho, qui hac in re omnes alios longe superat, cum Diodorum et Polybium tum Dionysium, quem in his sententiis magis quam hellenisticae aetatis scriptores sermoni vulgari appropinquare mirum est. Ne unum quidem exemplum apud Strabonem exstat[2]); etiam Dio, Philostratus II., Clemens hunc optativum plane neglexerunt.

Animadvertendum autem est in moralibus illam rationem plane aliam esse atque eam, quam supra statuimus, cum in his scriptis Plutarchus non amplius bis optativum obliquum, 12[ies] autem coniunctivum post praeteritum adhibuerit. Tamen non est quod hunc tam exiguum numerum exemplorum miremur, cum in ceteris quoque optativi obliqui generibus moralia a vitis numero exemplorum longe superari saepius cognoverimus. —

[1]) Kapff p. 75. — Schroefel p. 74.

[2]) Glatzel p. 75.

Tempus, quo scriptor in his enuntiatis utitur, plerumque praesens est; exstat enim 25^{ies}, aoristus multo rarius (12^{ies}).

Negatio sententiarum semper μὴ est, quippe quibus condicionalis nota insit impressa[1]).

In enuntiato primario imperfecti indicativus fere invenitur; uno loco — Rom. 7 (I 40, 18) — optativus obliquus e praesenti historico pendet.

l) Restat ut optativum obliquum in enuntiatis condicionalibus pro coniunctivo ex ἐὰν pendente usurpatum contemplemur, qui in his enuntiatis 92^{ies} invenitur; coniunctivus autem post tempus praeteritum 124^{ies} positus est. Quem optativum non hoc loco, sed in tertio huius partis capite, quo de constructionibus condicionalibus disseretur, tractandum mihi esse putavi. —

Quoniam usum optativi obliqui apud Plutarchum uberius persecutus sum, huius capitis quasi summam breviter faciam.

Plutarchus optativum obliquum in summa 711 locis post tempus praeteritum (31^{ies} post primarium) posuit, quorum 593 in vitis, 118 in moralibus exstant; evitatus autem est praeterito antecedente 2041 locis (1496^{ies} in vitis, 545^{ies} in moralibus). Quos numeros si inter se comparamus, primum hanc rationem inter optativum obliquum usurpatum et evitatum intercedere statuendum est:

$$711 : 2041 = 1 : 2,87.$$

Non inutile esse videatur quaerere, quemadmodum ceteri scriptores, quos saepius cum Plutarcho comparavi, in hoc genere se habeant. Conspicimus hanc rationem inter optativum obliquum praeterito antecedente usurpatum et evitatum:

apud Philostratum II.	
in 'vit. Apoll.' et 'vit. soph.'	1 : 0, 29
Philostratum III.	
in 'Heroico' et 'Imag.'	1 : 1
Strabonem	1 : 1
Dionem	1 : 2, 55
Dionysium	1 : 4, 1
Clementem	1 : 5, 6

---

[1]) Stegmann p. 8.

Polybium[1])	1 : 7, 8
Philodemum	1 : 11
Diodorum[1])	1 : 12.

Itaque si optativi obliqui apud Plutarchum usum universum spectamus, eum et scriptoribus aetatis hellenisticae et atticistis prioribus excepto Strabone omnibus multo antecedere elucet. Quod idem cadit in Dionem, aequalem eius, quocum Plutarchus in usu universo huius optativi prorsus congruit. Medium igitur locum inter illos et atticistas posteriores obtinent, ita ut intellegamus, quomodo optativi obliqui usus a Dionysio usque ad Philostratorum aetatem increbuerit. Clemens unus ab hoc continuo progressu recedit, quamquam is quoque obliqui usum augere aperte studuit.

Silentio autem praetereundum non est hanc rationem in moralibus aliam esse; invenimus enim in his 118 optativos obliquos et 545 indicativos aut coniunctivos praeterito antecedente, ita ut ratio sit

$$118 : 545 = 1 : 4{,}6.$$

Unde Plutarchum optativum obliquum in moralibus rarius quam in vitis usurpavisse apparet. Similiter Dionysius in scriptis rhetoricis usum huius optativi magnopere neglexit[2]).

Qua cum re artissime coniuncta est alia differentia inter vitarum et moralium sermonem, quae eminet, si numerum omnium exemplorum optativi obliqui (748) cum numero omnium optativorum (1994) comparamus. In universum enim inter centenos optativos 37 obliqui sunt; separatim autem vitas et moralia spectantes invenimus

in vitis	(617 : 1105)	inter	100 opt.	56	opt. obl.
in mor.	(131 : 889)	„	100 „	14,7	„ „ .

Qua re confirmantur quae supra (p. 82) de dissimilitudine dicta sunt quae inter vitarum et moralium elocutionem est. Et per se intellegitur in scriptis historicis occasionem orationis obliquae usurpandae scriptori multo saepius dari quam in rhetoricis, quorum sermoni oratio directa magis convenit.

---

[1]) Kapff p. 80.
[2]) Schroefel p. 75.

Contrariam autem rationem inter vitas et moralia in optativi potentialis usu intercedere supra (p. 68) exposui; haec quoque res apud Dionysium observata est[1]).

Restat ut hoc unum commemorem: apud Plutarchum inter centenos optativos 37 obliqui et 33 potentiales (p. 68), apud Dionysium antem non plus 16 obliqui (205 : 1292) et 44 potentiales (568 : 1292) inveniuntur, ita ut intellegi possit, quantopere optativi obliqui usus apud Plutarchum increbuerit et quantum intersit inter Plutarcheum et vulgarem sermonem, a quo hic optativus illis temporibus iam pridem alienus erat[2]).

Itaque ut quae hoc capite effecisse mihi videor comprehendam, optativum obliquum apud Plutarchum late denuo patere statuendum est. Quod autem maius est, Plutarchus hunc optativum in omnibus enuntiatorum generibus usurpavit, saepissime in sententiis enuntiativis, finalibus, interrogativis indirectis, relativis hypotheticis; sed ne in relativis quidem et causalibus enuntiatis neglexit, in quibus nec Dionysius nec Dio ullum huius optativi exemplum praebent. Videmus igitur quam varie et Atticorum sermoni convenienter Plutarchus optativo obliquo usus sit. Quo accedit quod ut hi optativum in his enuntiatis post tempus primarium perraro posuit, quamvis saepe ab hac lege discedere et posteri scriptores et atticistae veriti non sint.

3) Progrediamur nunc ad

optativi iterativi

usum, quem pro coniunctivo cum ἂν coniuncto 143 locis invenimus. Quorum sunt

a) 52 loci in enuntiatis temporalibus e coniunctionibus quae dicuntur iterativis pendentibus. Ut nonnulla exempla afferam, invenimus

post ὁσάκις

α) optativum praes. (8 ies):

Mar. 43 (II 378, 6): ὥστε . . ἕκαστον ἀγωνίας μεστὸν εἶναι . ., ὁσάκις . . τῷ Μαρίῳ πελάζοιεν

[1]) Schroefel p. 56. 88.

[2]) B. L. Gildersleeve, notes on the evolution of oratio obl., Am. Journ. of Phil. XXVII (1906) p. 206.

quaest. conv. I M. 620 C: *ὁσάκις . . ἀναλαμβάνοι τὴν χλαμύδα, πρῶτος εἰώθει διαλέγεσθαι πρὸς αὐτὸν*

Caes. 2 (III 365, 13): *ὁσάκις ἀναπαύοιτο, προσέταττεν αὐτοῖς σιωπᾶν*

β) opt. aor. (10ies):

Ages. 4 (III 146, 1): *ὁσάκις δὲ τύχοι καθήμενος . . ., ἐπιοῦσι τοῖς ἐφόροις ὑπεξανίστατο*

coh. ira M. 455 A: *ὁ Σωκράτης, ὁσάκις αἴσθοιτο . ., ἐνεδίδου τε τῇ φωνῇ καὶ διεμειδία*

Alex. 5 (III 283, 13): *ὁσάκις γοῦν ἀπαγγελθείη . . ., οὐ πάνυ φαιδρὸς ἦν*

post *ὅτε*

α) opt. praes. (6ies):

Per. 8 (I 306, 15): *βροντᾶν μὲν αὐτὸν καὶ ἀστράπτειν, ὅτε δημηγοροίη, . . λεγόντων*

an seni resp. M. 792 C: *ἔλεγεν μηδὲν οἴεσθαι τῶν ἱπποκόμων διαφέρειν ἑαυτόν, ὅτε σχολάζοι*

β) opt. aor. (9ies):

Cim. 16 (II 489, 30): *ὅτε τύχοι μεμφόμενος αὐτοῖς . ., εἰώθει λέγειν*

adv. Col. M. 1119 A: *ἐρώμεθα . . πῶς ἐν τῷ ζῆν οὐ δύναται διαμένειν ἀνήρ, ὅτε τύχοι, πρὸς ἑαυτὸν ἀναλογιζόμενος*

post *ὁπότε*

α) opt. praes. (9ies):

Cat. mai. 24 (II 224, 28): *ἀναπαύσεσιν ἐχρῆτο . . ὁπότε σχολάζοι, τῷ συντάττεσθαι βιβλία*

gen. Socr. M. 576 C: *ὁπότε τυγχάνοι σχολὴν ἄγων . . ., ἡδέως ἠκροᾶτο*

β) optativum aor. (6ies):

Lyc. 12 (I 91, 8): *ἐξῆν γὰρ οἴκοι δειπνεῖν, ὁπότε θύσας τις . . ὀψίσειε*

ser. num. vind. M. 567 D: *ὁπότε γάρ τις ἐκείνων ἀφίκοιτο καὶ περιτύχοι, προσέπιπτεν ὀργῇ*

post *ὁπηνίκα*

opt. aor. (quater):

Cic. 40 (IV 278, 19): *λέγεται γάρ, ὁπηνίκα ῥυείη πρὸς τὸ τοιοῦτον, . . ἔπη ποιεῖν πεντακόσια*

gen. Socr. M. 581 B: *τύφου γὰρ ἂν ἦν τινος . . ὑπὸ φωνῆς ἔξωθεν . . ὁπηνίκα τύχοι, θορυβούμενον . . ἀνατρέπεσθαι.*

Quae exempla breviter inspicere liceat.

Invenimus 52 locis, quorum 39 in vitis, 13 in moralibus sunt, optativum iterativum in enuntiato temporali. Particulae autem, quibus Plutarchus in his enuntiatis utitur, sunt hae:

ὁσάκις	legitur in vit.	13ies,	in mor.	5ies	=	18ies
ὅτε	„ „ „	11ies,	„ „	quater	=	15ies
ὁπότε	„ „ „	12ies,	„ „	ter	=	15ies
ὁπηνίκα	„ „ „	ter,	„ „	semel	=	quater
		39ies		13ies	=	52ies.

Facile igitur a Plutarcho coniunctionem *ὁσάκις* saepissime usurpatum esse cognoscimus; id quod mirum videtur spectanti huius particulae usum, quae apud scriptores Graecos non solum raro invenitur, sed etiam rarius cum optativo iterativo coniungitur [1]. Secundum locum *ὅτε* particula obtinet, quam *ὁπότε* frequentia adaequat. Itaque Plutarchi usus particulae *ὁσάκις* proprius est, qua re a prioribus differt scriptoribus, quorum plurimi *ὁπότε* adamaverunt, ut Diodorus [2], Dionysius [3], Dio Chrys., Philostratus II. [4] Clemens quoque optativum iterativum in enuntiato temporali cum particula *ὁπότε* una coniunxit [5]. Qui omnes praeter Dionem etiam *ὅτε* particulam haud raro usurpaverunt; praevalet autem haec apud Strabonem [6].

Restat ut duos afferam locos, quibus coniunctio *ὁσάκις* cum *ἂν* et optativo iterativo coniuncta est:

Alc. 6 (I 381, 19): *ἐκεῖνον ὁ Σωκράτης . . . ὁσάκις ἂν λάβοι, πιέζων . . ταπεινὸν ἐποίει*

Demosth. 10 (IV 217, 24): *φασὶν αὐτόν, ὁσάκις ἂν ἀντερῶν . . Φωκίων ἀναβαίνοι, λέγειν.*

Quae structura — a classicis scriptoribus plane aliena —

[1]) Vandaele p. 170.
[2]) Kapff p. 41.
[3]) Schroefel p. 77.
[4]) Jaekel p. 31. 66.
[5]) Scham p. 115.
[6]) Glatzel p. 84.

aetate hellenistica videtur orta esse, cum apud nonnullos *κοινῆς* scriptores etsi perpaucis locis legatur, primum apud Polybium[1]). Etiam Diodorus uno loco *ἐπειδὰν* coniunctionem cum optativo iterativo coniungit[2]). Neque carent structuris similibus atticistae quidam, velut Lucianus[3]) et Clemens[4]), quamquam sermonis vulgaris eas esse proprias apparet[5]). Quam ob rem mirum non est in papyris Aegyptiis coniunctiones *ὁπόταν*, *ἡνίκα ἄν*, *ὁπηνίκα ἄν* sim. saepissime cum optativo coniungi[6]).

Tamen apud Plutarchum dubito an haec structura toleranda non sit, quippe qui vel minutis in rebus classicorum normam diligenter sequatur. Accedit quod utroque loco mutatio facillima est; primo enim loco (Alc. 6) optativum *λάβοι* facile in coniunctivum *λάβῃ* corrigemus[7]); alterum locum (Demosth. 10) vel eadem sanabimus ratione vel particulam *ἂν* ut dittographia ortam delebimus, id quod Carolo Graux (in edit. Demosth.) et Weissenbergero[8]) placuit.

b) 47 loci in enuntiatis relativis ad rem iteratam significandam, qua re haec enuntiata differunt ab enuntiatis relativis hypotheticis (cf. p. 116 sq.), quibus notio iterativa non inest.

Profero haec exempla:

α) opt. praes. (21^ies^):

Phil. et Flam. comp. 3 (II 284, 9): *χρώμενος αὐτοῖς ὅπου καιρὸς εἴη*

Luc. 42 (II 550, 2): *τοῖς πολιτικοῖς συνέπραττεν ὅτου δέοιντο*

Ages. 4 (III 145, 22): *ἴσχυε πλεῖστον ὥστε ποιεῖν ὃ βούλοιτο*

β) opt. aor. (26^ies^):

Rom. 20 (I 59, 30): *ὅτῳ δὲ . . . δόξειε μὴ θαλερὸν εἶναι . . ., ὁ μὲν εὐθὺς ἔφραζε*

---

1) Pol. X 3, 7. — Cf. Stich p. 202/203.

2) I 128, 28 Vogel. — Cf. Kapff p. 41.

3) Du Mesnil p. 19. — Schmid, Att. I 244.

4) Scham p. 113.

5) Schmid, Att. IV 621.

6) Harsing p. 36/37.

7) Aliter Schenkl (Burs. Jahresb. 38 [1884] p. 205) qui *ἂν* secludendum esse censet. — Cod. Matrit. hoc loco formam *ἀναλάβοι* praebet, quam Graux verbis Latinis 'denuo deprehendebat' interpretatur.

8) Weissenberger p. 36.

aud. poët. M. 28 B: ἔπραττε μὲν ὃ προστάξειεν ὁ παιδαγωγός
Lys. 23 (II 408, 14): ὑπὲρ ὧν αἴσθοιτό τι πράττοντα . . τὸν Λύσανδρον, ἀεὶ τούτους . . ἀπέπεμπε
aet. Gr. M. 302 F: ἔπραττον, ὅτου δεηθεῖεν.

c) 44 loci in enuntiatis condicionalibus ex εἰ pendentibus ad rem tempore praeterito iteratam exprimendam; quos hoc loco commemorasse satis habeo, cum infra una cum structuris condicionalibus accuratius tractandi sint. —

Quos numeros si complectimur, invenimus optativum iterativum

in	enunt.	temp.	in vit.	39ies,	in mor.	13ies	=	52ies
„	„	relat.	„ „	40ies,	„ „	7ies	=	47ies
„	„	condic.	„ „	30ies,	„ „	14ies	=	44ies
				109ies		34ies	=	143ies.

Videamus nunc, quomodo alii scriptores optativo iterativo usi sint, id quod facillime cognoscimus, si huius optativi exemplorum numerum cum omnium optativorum numero comparamus. Quod si facimus, inveniuntur inter centenos optativos

apud	Diodorum[1])	15	opt.	iter.	(38 : 254)
	Dionysium	12	„	„	(150 : 1292)
	Polybium	9	„	„	
	Plutarchum	7	„	„	(143 : 1994)
	Strabonem[2])	2,4	„	„	
	Philonem	0,7	„	„ .	

Unde optativi iterativi usum a Plutarcho non modo non auctum, sed etiam imminutum esse apparet, cum scriptor hoc optativo tam raro utatur, ut cum a Dionysio tum a Diodoro frequentia exemplorum pro portione constituta longe superetur.

Itaque Plutarchum in optativi iterativi usu etsi scriptorum veterum vestigiis eum ingredi non negamus, tamen sermoni vulgari, e quo hoc optativi genus aetate illius iam pridem abisse libri Novi Testamenti[3]) et papyri[4]) demonstrant, magis

[1]) Kapff p. 44.
[2]) Glatzel p. 85.
[3]) Blass [2] p. 212.
[4]) Harsing p. 34/35.

appropinquare quam in omnibus aliis generibus optativi concedemus.

Etiam magis quam Plutarchus optativum iterativum Dio Chrysostomus repressit, qui in summa 67 talia exempla (i. e. sena inter centenos opt.)[1]) praebet. Paulo maior ratio apud Philostratum II. est (74 : 858 = 8,6 : 100)[2]); plurimum autem inter hos et Clementem interest, qui non plus 14ies optativo iterativo usus est, ita ut ratio haec sit[3]):

opt. iter. : omn. opt. = 14 : 689 = 2 : 100.

Quae ratio etiam minor esset, si eos tantum locos, quibus iterativus post tempus praeteritum exstat, respexissemus; quod idem in Dionem et Philostratum II. cadit.

Restat ut nonnulla afferam, quae in his exemplis mentione digna videantur.

Negatio enuntiatorum semper *μή* est; nec mirum, cum idem fere significent quod enuntiata condicionalia[4]).

In enuntiato primario scriptor plerumque imperfecto utitur; uno loco — Cat. mai. 22 (II 221, 28) — optativus iterativus sententiae relativae e praesenti historico pendet. Praeterea autem nonnulli sunt loci, quibus optativus e tempore primario pendet; sunt hi:

Ag. et. Pomp. comp. 3 (III 276, 3): *ᾧ δέδοται καὶ γράφειν ὅ βούλοιτο*

ad. ab am. intern. M. 67 E: *ἀνὴρ . . τῷ λόγῳ δυνατὸς ἐπανορθοῦν οἷς συνείη*[5])

VII sap. conv. M. 163 E: *ἡ ψυχὴ . . τῷ θεῷ παρέχει χρωμένῳ . . τρέπειν αὐτὴν ᾗ βούλοιτο*[6])

frat. am. M. 481 F: *τί . . χρὴ ποιεῖν, ὅτῳ φαῦλος ἀδελφὸς γένοιτο;*

quaest. conv. II M. 640 C: *φασι . . τάχιστ' ἂν ἀπολέσθαι φυτὸν ὅ βούλοιο χριόμενον ἐλαίῳ*

---

[1]) Jaekel p. 31.

[2]) Jaekel p. 65 sq.

[3]) Scham p. 112 sq.

[4]) Stegmann p. 8.

[5]) Hercher *οἷς ἂν συνῇ* scribit.

[6]) Hercher *βούλεται* in textum recepit.

Etiam in scriptis non genuinis exemplum simillimum est: Lac. apopth. M. * 230 B: οὐχ .. ὅπως τύχοι[1]) σπουδάζομεν.

Quorum locorum nonnullos editores mutare conati sunt; tamen codicum lectionem servandam esse mihi persuasum est. Nam haec enuntiata relativa idem fere valent quod enuntiata condicionalia[2]), quae e particula εἰ cum optativo coniuncta pendent, ita ut non multum intersit, utrum legamus — ut unum afferam exemplum —

frat. am. M. 481 F: τί .. χρὴ ποιεῖν, εἴ τῳ φαῦλος ἀδελφὸς γένοιτο;

an pronomen relativum positum sit.

Accedit quod hic usus Plutarcho cum aliis scriptoribus posterioris saltem aetatis communis est, ut Strabone, qui unum praebet exemplum[3]). Quin etiam nonnulli eo progressi sunt, ut contra classicorum leges optativum iterativum post primarium quoque tempus coniunctivo praeferrent, ut Philodemus[4]), Dio Chrysostomus[5]), Philostratus II. et III.[6]); minime autem Clemens Atticorum consuetudinem sermonis respexit[7]).

Ex quo intellegitur hos omnes optativi iterativi naturam et originem non iam perspexisse, immo vero hanc structuram quasi artificium eis esse, quo usi orationem ornare et colore Attico afficere student.

Atque haec quidem de optativo in enuntiatis secundariis usurpato; pergamus nunc ad ultimum huius partis caput, quo disseritur

C. de optativo in structuris condicionalibus usurpato, cuius 453 exempla apud Plutarchum inveniuntur.

§ 1: Invenimus
in protasi εἰ c. opt. coniunctum, in apodosi optativum potentialem 32 locis, quorum hos e. gr. affero:

---

[1]) Bernardakis in app. crit.: τύχῃ?
[2]) Kühner-Gerth II 2 § 560, 4 b.
[3]) Glatzel p. 84.
[4]) bis: Glatzel p. 28.
[5]) Jaekel p. 39/40.
[6]) Jaekel p. 71. 95.
[7]) Scham p 112 sq.

a) optativus praes. in protasi (13[ies]):

Rom. 13 (I 48, 3): *μάλιστα δ' ἂν τις τυγχάνοι τοῦ εἰκότος, εἰ νομίζοι*

Stoic. rep. M. 1048 F: *εἰ γοῦν οἱ θεοὶ .. βλάπτειν ἐθέλοιεν ἡμᾶς .., οὐκ ἂν δύναιντο διαθεῖναι χεῖρον*

in virt. prof. M. 75 D: *εἰ δέ γ' εἴη τάχος τοσοῦτον .., τίς ἂν*[1] *ἀγνοήσειεν ..;*

VII sap. conv. M. 156 C: *αἱ δὲ Μοῦσαι* (sc. *μέμψαιντ' ἂν ἡμᾶς*) *καὶ παντάπασιν, εἰ νομίζοιμεν*[2])

b) optativus aor. in protasi (19[ies]):

Phoc. 9 (IV 8, 18): *αἰσχυνοίμην ἄν, εἰ .. ὑμῖν ἐπιδοίην*

ser. num. vind. M. 559 D: *εἰ δὲ μὴ δόξαιμι παίζειν ἐγώ, φαίην ἄν*

Fab. Max. 5 (I 347, 10): *οὕτω μέντἂν .. δειλότερος .. γενοίμην, εἰ .. ἐκπέσοιμι τῶν ἐμαυτοῦ λογισμῶν*

def. or. M. 427 E: *θαυμάσαιμι δ' ἄν, εἰ μὴ δόξειε.*

§ 2: Similia sunt ea exempla, quorum in apodosi pro optativo potentiali indicativus futuri usurpatus est, quam structuram 15[ies] invenimus, velut

Popl. 21 (I 211, 29): *εἰ δὲ βούλοιο ... μεταστῆναι ..., ὑποδέξεταί σε*

amat. M. 752 E: *δῆλός ἐστιν, εἰ μὴ ταχὺ φύγοι*[3]) *.., συντακησόμενος*

fac. in orbe lun. M. 940 F: *κἂν*[4]) *εἴ ποθεν αὐτοῖς ἐγγένοιτο .. ἀκοῦσαι, .. φήσουσιν*

§ 3: Sequuntur eae constructiones condicionales, in quibus protasis ex *εἰ* cum optativo coniuncto pendet; in apodosi autem invenimus:

---

[1]) *ἂν* add. Emperius.

[2]) Codices *νομίζομεν*; Reiskius corr.

[3]) Bernard. in app. crit.: „malim *ἂν* (= *ἐάν*) .. *φύγῃ*". — Non opus.

[4]) Plutarchus non solum in enuntiato concessivo (cf. p. 133), sed etiam in condicionali pro *καὶ εἰ* hic illic *κἂν εἰ* hiatus evitandi causa adhibuit, ut in exemplo supra allato et Cam. 37 (I 291, 30) et M. 1112 F. Eandem consuetudinem sermonis apud alios posterioris aetatis scriptores observamus, ut Aristidem (Schmid, Att. II 59), Clementem (Scham p. 57), Libanium.

a) indicativum 59 locis, e quibus hos affero:

α) indic. praes. (43 loc.):

de garr. M. 504 B: *οὐ ψέγεται τὸ πίνειν, εἰ προσείη . . . τὸ σιωπᾶν*

Dio 43 (V 37, 25): *εἰ σῶσαι μὴ δυναίμην, ἄπειμι*

Lys. 26 (II 411, 18): *λαβεῖν οὐκ ἔξεστι τούτους . ., εἰ μή τις ἄρα . . ἀφίκοιτο . . καὶ . . κομίσαιτο τὰς δέλτους*

def. or. M. 411 C: *εἰ δ' οὖν ὑποθοῖτό τις . ., οὐ βέλτιόν ἐστι . .;*

β) indic. perf. (quater):

Cat. mai. 24 (II 223, 24): *εὕρηκα κηδεστὴν ἐπιτήδειον, εἰ μὴ . . τὰ τῆς ἡλικίας δυσχεραίνοιτο*

adv. Col. M. 1110 B: *ὁ δὴ λέγων ἐξηπατῆσθαι τοὺς πολλοὺς . ., εἰ μὴ νομίζοι . ., αὐτὸς ἐξηπάτηται*

γ) indic. imperf. (8[ies]):

Sol. 27 (I 183, 26): *ἀλλόκοτος ἐδόκει εἶναι τῷ Κροίσῳ . ., εἰ μὴ πρὸς ἀργύριον πολὺ . . ποιεῖται τὴν ἀναμέτρησιν, ἀλλὰ . . ἀγαπῴη*

praesentis indic. et opt. in protasi iuxta positi sunt[1]).

Arat. 11 (V 145, 18): *χρῆσθαι παρεῖχεν αὐτῷ τῷ ἀεὶ στρατηγοῦντι τῶν Ἀχαιῶν, εἴτε Δυμαῖος εἴτε Τριταιεὺς . . . ὧν τύχοι*

δ) indic. aor. (quater):

Popl. 12 (I 201, 29): *κτείναντα δὲ φόνου καθαρὸν ἐποίησεν, εἰ παράσχοιτο τοῦ ἀδικήματος τοὺς ἐλέγχους*

Ages. 6 (III 147, 20): *ἀνεδέξατο τὸν πόλεμον, εἰ δοῖεν αὐτῷ.*

Invenimus igitur 47 locis vel potius — additis iis (15), quorum in apodosi indicativus futuri exstat, — 62 locis in apodosi structurae condicionalis indicativum temporis primarii, quibus non amplius 32 loci ex adverso positi sunt, quorum in enuntiato primario optativus potentialis usurpatus est.

Unde a Plutarcho structuram illam huic, quae apud Atticos usitatissima est, postea autem e sermone evanuit, ita ut neque in Novi Testamenti libris neque in papyris ullum inveniatur exemplum[2]), magnopere praelatam esse apparet. Qua in

---

[1]) Cf. supra p. 96. — Vandaele p. 230.

[2]) Witkowski, Burs. Jahr. 159 (1912) p. 249.

re Plutarchus linguae vulgari appropinquat; neglegendum autem non est ut hunc ita omnes scriptores posteriores ab Atticorum consuetudine recessisse et in apodosi optativum potentialem magis minusve neglexisse. Quin etiam atticistae in apodosi indicativum futuri potentiali de industria praetulerunt, cum illa potissimum structura ut classicorum propria colorem et elegantiam Atticorum effici putarent et docerent[1]. Itaque Dionysius primus hac utitur constructione (42ies); etiam praesentis indicativum nonnunquam (15ies) in apodosi adhibuit, quamquam hunc usum evitandum esse ipse censet. Quem reliqui omnes atticistae secuti sunt, sed differentia quaedam inter hos et illum statuenda est. Apud Dionysium enim structurae, quarum in protasi εἰ c. optativo, in apodosi potentialem invenimus (49), eas, quarum in apodosi indicativus praesentis (15) aut futuri (42) positus est, numero paene adaequant; etiam Philodemus et Strabo in apodosi potentialem indicativo praeferunt[2]. Postea autem indicativus increbescit et formam classicis usitatam reprimit; cuius rei testes sunt Philo (22ies εἰ c. opt. — opt. c. ἄν, 61ies εἰ c. opt. — indic.), Ps.-Longinus[3], Dio Chrysostomus[4], Lucianus[5], Aristides[6], Aelianus[7]. Non alius est usus apud Philostratos: in 'vit. Ap.' et 'vit. soph.' ratio 1 : 3 est[8]; eadem in 'Heroico' conspicitur, in 'Imag.' indicativus in apodosi etiam latius patet (1 : 7)[9]. Paulo minor ratio apud Clementem est, qui in apodosi potentialem 21ies, indicativum autem 132ies (= 1 : 6,3) admisit[10].

Ex quo efficitur ut Plutarchus etiam in hoc optativi genere medium locum inter Dionysium et atticistas I. et II. p. Chr. n. saeculi obtineat (ratio apud eum 32 : 62 = 1 : 2 est)

[1]) Schmid, Att. I 98.
[2]) Glatzel p. 36. 93.
[3]) Dahl p. 31/32. — Glatzel p. 102/103.
[4]) Schmid, Att. I 98. — Jaekel p. 38.
[5]) Schmid, Att. I 243.
[6]) Schmid, Att. II 59.
[7]) Schmid, Att. III 82 sq.
[8]) Jaekel p. 69.
[9]) Jaekel p. 94.
[10]) Scham p. 121/122.

et usus, quem apud eum statuimus, plane cum progressu constructionum condicionalium apud atticistas observato congruat.

Restat ut duas afferam res mentione dignas. Invenimus enim hic illic in protasi ex εἰ pendente non modo optativum purum, sed etiam particula ἄν instructum, cuius rei haec repperi exempla:

aet. Rom. M. 281 C: ἦ κατὰ λόγον ἐστίν, εἰ .. χρήσαιτ᾽ ἄν τις;
Is. et Os. M. 369 D;
se ips. citra inv. laud. M. 539 F;

comm. not. M. 1061 B: μᾶλλον .. φανεῖταί σοι παρὰ τὴν κοινὴν ἔννοιαν, εἰ τῶν μεγίστων ἀγαθῶν ὁ φρόνιμος μήτ᾽ ἀπόντων μήτ᾽ εἰ πάρεισιν αὐτῷ φροντίζοι[1]), ἀλλὰ .. τοιοῦτος ἂν κἂν τούτοις εἴη,

quo loco Rasmus ἂν deleri, Bernardakis αὖ pro ἂν scribi vult. Sed mutatione nihil opus est, cum haec constructio iam apud classicos scriptores, velut Platonem Xenophontem Demosthenem Aristotelem inveniatur[2]). Ne a Polybio[3]) quidem, Diodoro[4]), Philodemo[5]) aliena est; etiam atticistae nonnulla exempla praebent velut Lucianus[6]), Aristides[7]), Clemens[8]), quibus addi possunt Ps.-Demetrius et Sextus Empiricus[9]). Itaque non est cur Plutarchi locos supra laudatos mutemus[10]).

Altera res in negationibus usurpandis observari potest; utitur enim scriptor in protasi pro μή interdum οὐ, velut

Is. et Os. M. 369 D: εἰ γὰρ οὐδὲν ἀναιτίως πέφυκε γενέσθαι ..., δεῖ,

quae res cum in aliis tum in libris de philosophia scriptis potissimum in ratiocinationibus invenitur[11]). Haec quoque

---

[1]) Codices φροντίζων; Madvigius corr.
[2]) Dahl p. 32. — Vandaele p. 147—149.
[3]) Stich p. 194. — Schmid, Att. I 244.
[4]) Kapff p. 93.
[5]) Glatzel p. 31.
[6]) Schmid, Att. I 244.
[7]) Schmid, Att. II 59.
[8]) Scham p. 138—140 (quattuor ex.).
[9]) Dahl p. 32.
[10]) Idem censet Weissenberger p. 34.
[11]) Stegmann p. 7.

sermonis consuetudo Plutarcho cum aliis ut Libanio communis est. Praeterea autem non raro in enuntiatis quae dicuntur restrictivis e particulis πλὴν εἰ vel χωρὶς εἰ pendentibus negatio μὴ coniunctioni addita est, ita tamen ut sententiae vis et notio non mutetur[1]; cf. e. gr. locum

Alc. et Cor. comp. 1 (I 457, 23): ὁμαλῶς γὰρ ἀμφότεροι πολλὰ μὲν στρατιωτικῆς ἔργα τόλμης . . ἐπεδείξαντο, πλὴν εἰ μή τις θέλοι,

qui usus etsi sermonis vulgaris proprius[2], tamen apud alios quoque scriptores, quin etiam apud atticistas velut Lucianum[3] invenitur. —

Invenimus

b) coniunctivum pendentem ter:

Cat. min. 44 (IV 78, 3): ἔπεισε δόγμα θέσθαι τὴν σύγκλητον, ὅπως οἱ κατασταθέντες ἄρχοντες, εἰ μηδένα κατήγορον ἔχοιεν, αὐτοὶ . . εὐθύνας διδῶσιν
r. rat. aud. M. 39 C; Pyth. or. M. 399 A

c) optativum pendentem 10[ies], velut

Per. 29 (I 329, 9): ὡς ἂν οὖν, εἰ μηδὲν ἔργον μέγα . . γένοιτο, προσδιαβληθείη μᾶλλον . ., . . ἔδωκε

de garr. M. 509 E: νομίζω γὰρ τοὺς ἱεροσύλους ἐλθεῖν . . κώνειον ἐμπιόντας . . ἵν' εἰ μὲν αὐτοῖς λαθεῖν ἐγγένοιτο, . . ἀπέλθοιεν ἀσφαλῶς· εἰ δ' ἁλίσκοιντο, . . ἀνωδύνως ἀποθάνοιεν

Agis 4 (IV 111, 2): ὥστε . . λέγειν, ὡς οὐδὲν δέοιτο τῆς βασιλείας, εἰ μὴ . . ἀναλήψοιτο τοὺς νόμους.
de optativo fut. in protasi usurpato cf. p. 98.

d) optativum desiderativum quater:

cohib. ira M. 462 C: ἀπολοίμην, εἰ μή σε τιμωρησαίμην = frat. am. M. 489 D

cohib. ira M. 462 C: ἐγὼ δέ, φήσας, ἀπολοίμην, εἰ μή σε πείσαιμι = frat. am. M. 489 D

[1]) Stegmann p. 25. — Weissenberger p. 34. — Kühner-Gerth II 2 § 514, 6.
[2]) Schmid, Att. IV 623.
[3]) Du Mesnil p. 51.

e) imperativum bis:

Cor. 35 (I 452, 20): *εἰ μή σε πείσαιμι .., οὕτω διανοοῦ καὶ παρασκεύαζε σεαυτὸν*
gen. Socr. M. 595 B

f) infinitivum (66ies):

α) praesentis 43ies, velut

Philop. 4 (II 237, 6): *τοὺς λόγους ἐπὶ τὰ πράγματα καταστρέφειν οἰόμενος, εἰ .. περαίνοιντο*

Dion. 49 (V 43, 32): *ἀποκριναμένου . . ., εἰ δὲ πάντως δέοι καὶ Σπαρτιάτου .., αὐτὸς οὗτος εἶναι*

fac. in orbe lun. M. 924 C: *ὥστ' εἴ τις .. σταίη .., ἅμα . . . ἄνω ἔχειν τὸν αὐτὸν*

β) aoristi 23ies, velut

Cam. 37 (I 291, 30): *ἠξίου τρίβειν τὸν πόλεμον χρόνῳ κἂν εἰ μάχης δεήσειε .. διαγωνίσασθαι*

Ages. 5 (III 146, 22): *τὸ νεῖκος οἴονται .. εἰ .. ἐξαιρεθείη, στῆναι μὲν ἂν τὰ οὐράνια*
infinitivus cum ἂν coniunctus est

Stoic. rep. M. 1048 F: *ὥστ' εἰ λάβοι φωνήν, εἰπεῖν ἂν αὐτὸν*
infinitivo particula ἂν addita est.

Qui infinitivi plerumque e verbis dicendi vel sentiendi pendent, rarius ex *ὥστε*; infinitivum cum ἂν coniunctum pro optativo potentiali 8ies invenimus.

g) participium (34ies):

α) praesentis 29ies, velut

Rom. 18 (I 55, 27): *ἐθάρρει καρτεράν, εἰ βιασθεῖεν, ἀναχώρησιν ὁρῶν αὐτοῖς ὑπάρχουσαν*

aet. Rom. M. 265 D: *ἢ μᾶλλον ἐδόθη τοῦτο ταῖς γυναιξίν, ὡς τιμὴν .. αὐταῖς φέρον, εἰ φαίνοιντο ..;*

β) aoristi ter, velut

Alc. 8 (I 383, 2): *ὡς τοῦτο συνθέμενον, εἰ γένοιντο παῖδες*

γ) perfecti bis, velut

Caes. 27 (III 391, 3): *ὡς εἰ συνέλθοιεν αἱ δυνάμεις, κομιδῇ διαπεπραγμένων τῶν καθ' αὐτόν.*

§ 4: Cum enuntiatis condicionalibus coniungenda sunt enuntiata concessiva, quae e coniunctione *καὶ εἰ* vel *κἂν εἰ* pendent[1]). Inveniuntur haec tria exempla:

Num. 5 (I 123, 20): *οἷς κἂν εἰ μηδὲν ἕτερον προσείη, τῷ βεβαιοτέρῳ διαφέρει τῶν ἀδήλων*

ser. num. vind. M. 555 D: *καὶ γὰρ εἰ μηδὲν ἄλλο φαίη τις ἂν . . ., ἡ αἴσθησις αὐτῶν ἀνατρέπει τὴν ψυχήν*

gen. Socr. M. 587 C: *ὥστε κἂν εἴ τις ἐπιχειροῖ κατηγορεῖν, . . ἡ πρᾶξις . . κρατήσει.*

Mentione dignum est in his quoque enuntiatis uno loco (M. 555 D) in protasi optativum ex *εἰ* pendentem cum *ἂν* coniunctum esse (cf. supra p. 130).

§ 5: Sequitur ut sententias comparativas condicionales inspiciamus, quae ex *ὥσπερ* (*ἂν*) *εἰ* vel *ὡς εἰ* vel *οἷον εἰ* pendent[2]); inveniuntur apud Plutarchum 21 exempla, quorum haec proferantur:

r. rat. aud. M. 48 C: *ὥσπερ οὖν εἴ τις . . καταμένοι . ., οὕτως . . ἕλκει*

gen. Socr. M. 582 C: *ὥσπερ εἴ τις . . φαίη*

gen. Socr. M. 589 D: *ὥσπερ ἂν εἴ τις οἴοιτο*

virt. mor. M. 440 F: *ὡς εἴ τις ἐθέλοι . . καλεῖν*

es. carn. II M. 998 D: *οἷον εἴ τις . . ἀκούσειέ τινος λέγοντος.*

Quorum structura enuntiatorum ab usitata non abhorret.

In vitis parallelis ne unum quidem exemplum huius constructionis inveniri mirum est. Ut Plutarchus ita Dio Chr. hoc enuntiatorum genus adamavit; non minus 33 exempla apud hunc exstant[3]). Contra in Dionysii libris prorsus desunt.

§ 6: In numero constructionum condicionalium eae quoque habendae sunt, quarum apodosis excidit, ita tamen ut facile e contextu orationis simul audiri possit[4]). Cuius rei haec 9 exempla in Plutarchi libris sunt:

---

[1]) Kühner-Gerth II 1 § 398 adn. 2.
[2]) Kühner-Gerth II 1 § 398 adn. 2.
[3]) Jaekel p. 37/38.
[4]) Kühner-Gerth II 2 § 577, 4 b.

Flam. 11 (II 270, 4): *εἰ τὸ Μαραθώνιόν τις ἔργον ἀφέλοι . ., πάσας τὰς μάχας ἡ Ἑλλὰς . . μεμάχηται πρὸς αὐτήν,* facile simul audimus: *γνώσεται* vel *γνοίη ἄν.*

Similia sunt haec exempla:

Philop. et Flam. comp. 1 (II 282, 21);

Caes. 15 (III 378, 22);

es. carn. II M. 998 A, ubi Bernardakis *φήσειεν ἄν* inseri vult.

Aliud exemplum est

VII sap. conv. M. 150 E: *εἴ γ', εἶπεν, εἰδείης . . τοὺς νῦν αὐλοποιοὺς*[1]) sc. *τί ἂν εἴποις;*

cuius simillimum est

praec. ger. reip. M. 804 B.

Denique laudandi sunt hi loci:

virt. mor. M. 449 E: *εἰ προσδοκῶν . . ὄψεσθαι πύθοιτο* (sc. *τοῦτο τὸ σύμπτωμα τοῦ κατὰ λόγον ὀδυνηρότερόν ἐστιν*)

quaest. conv. II M. 632 F: *εἴ τις . . αἰτιῷτο τοὺς Αἰσχύλου Καβείρους* (sc. *μέμψις ἐμφαίνουσα χάριν ἂν εἴη*)

quaest. conv. VII M. 713 B: *οὐ μὴν ἀλλ' εἰ δεῖ τό γ' ἐμοὶ φαινόμενον εἰπεῖν, οὔτ' ἂν αὐλοῦ ποτε . . οὔτε λύρας μέλει . . ἐπιτρέψαιμι τὸ συμπόσιον*

(sc. *ἴστε*).

§ 7: Restat ut eas afferam constructiones, quarum protasis e verbis quibusdam pendet, quibus animi affectio aliqua — velut gaudium, ira, admiratio — exprimitur[2]).

Invenimus hanc structuram 10 locis:

Sol. 29 (I 186, 9): *ἐπιστεύετο . . ὡς . . δυσχεραίνων, εἴ τις τὰ παρόντα κινοῖ καὶ νεωτέρων ὀρέγοιτο*

Tim. 11 (II 11, 6): *διατριβὴν τοῖς Ῥηγίνοις παρεῖχον, εἰ . . οὐκ ἀρέσκοιντο τοῖς δι' ἀπάτης πραττομένοις*

praec. ger. reip. M. 800 C: *ἀγαπητόν* (sc. *ἐστιν*), *εἰ . . ἐνδέχοιτο τὴν ἐπιστασίαν*

Them. 12 (I 231, 21); Pel. et Marc. comp. 1 (II 158, 20); Luc. 35 (II 542, 23); Cat. min. 63 (IV 97, 17);

---

[1]) Eadem fere verba invenis in Plat. Gorg. p. 456 a: *εἰ πάντα γε εἰδείης . .* ubi Richards *τί δ'* ante *εἰ* inserit.

[2]) Kühner-Gerth II 2 § 551, 8.

Tib. Gr. 17 (IV 182, 5); Demosth. 1 (IV 209, 9); Dion. 21 (V 17, 24).

Inveniuntur igitur 9 exempla in vitis, in moralibus unum.

Negatio sententiarum, quamquam ex εἰ pendent, tamen οὐ est (cf. Tim. 11; Tib. Gr. 17), cum haec enuntiata condicionalia simillima sint enuntiativorum, ita ut εἰ idem fere quod ὅτι valeat[1]).

§ 8: Hae sunt structurae condicionales, quarum in protasi εἰ cum optativo coniunctum est.

Veniamus nunc ad eas, quarum in protasi εἰ cum indicativo coniungitur, in apodosi autem invenimus

a) optativum potentialem (36^{ies})

α) praesentis 14^{ies}, velut:

comp. Thes. et Rom. 1 (I 74, 13): εἰ δ' ἐκείνη μόνη τοῦτ' ἔπαθεν, εἰκότως ἔγωγε φαίην ἂν

aquane an ign. M. 958 E: εἰ τοίνυν .. τοῦτο πολλαπλησιάζει τὸ πῦρ, πῶς οὐκ ἂν εἴη πάντων ὠφελιμώτατον;

β) aoristi 22^{ies}, velut:

Rom. 15 (I 51, 13): εἰ δὲ τοῦτο μὴ λέγεται κακῶς .., ἑτέραν ἄν τις αἰτίαν εἰκάσειε πιθανωτέραν

def. or. M. 420 F: θαυμάσαιμ' ἄν, εἰ μὴ .. φαίνεται.

Videmus igitur hanc constructionem apud Plutarchum haud raram esse; quin etiam haec exempla numero ea (32) superant, quorum in protasi εἰ cum optativo, in apodosi potentialis positus est. Multo magis illa structura in sermone vulgari ut chartis Aegyptiis praevalet; etiam apud Philodemum et Strabonem haud mediocri in usu est[2]). Contra Dionysius in protasi optativum aliquanto saepius (49^{ies}) quam indicativum (15^{ies}) posuit, item Dio Chrysostomus (72^{ies} εἰ c. opt., 54^{ies} c. ind.); et Philostratus II. (27^{ies} εἰ c. opt., 17^{ies} c. ind.); apud Philostratum III. (in 'Her.' et 'Imag.' 8^{ies} εἰ c. opt., 7^{ies} c. ind.) et Clementem[3]) (21^{ies} εἰ c. opt., 20^{ies} c. ind.) ratio paene 1 : 1

---

[1]) Stegmann p. 7.
[2]) Glatzel p. 34—36. 90—92.
[3]) Scham p. 140.

est. Itaque Plutarchus hac in re magis cum Strabone et Philodemo quam cum his congruit.

b) optativum optantem ter:

Dio 43 (V 37, 31): εἰ δὲ . . ὑπερόψεσθε, τῆς γε πρότερον ἀρετῆς . . χάριν ἀξίαν κομίζοισθε παρὰ τῶν θεῶν

mul. virt. M. 252 C;

Alex. fort. II M. 338 F.

His quoque locis Plutarchus ab Atticorum norma recessit, secundum quam in protasi ἐὰν c. coni. praeferendum erat.

Uno loco

quaest. conv. V M. 684 C: εἰ δὲ . . οὐ κεραννοῦται, καὶ τοῦτ' ἄν τις ἀναθείη

in protasi negatio οὐ usurpata est, quem usum saepius apud Plutarchum inveniri supra (p. 130. 135) dictum est. —

§ 9: Sequitur ut ea proferam exempla, quorum in protasi ἐὰν cum coniunctivo coniunctum est, in apodosi autem optativus potentialis exstat; quam structuram 10[ies] invenimus.

Exempli causa hos nomino locos:

Alex. 35 (III 320, 31): ἂν γὰρ ἅψηται τούτου . ., παντάπασιν ἂν φαίην

aud. poët. M. 18 F: ἂν οὖν ὑπομιμνήσκωμεν τοὺς παῖδας . ., οὐκ ἂν . . βλάπτοιντο

comm. not. M. 1082 C: ποῦ δ' ἂν[1]) λήξειε τὸ πραττόμενον, ἂν . . ἀληθὲς ᾖ καὶ τὸ 'πραχθήσεται';

Quam structuram ab Atticis fere evitari constat, quippe qui in talibus enuntiatis ad cogitationem fictam exprimendam optativum ex εἰ pendentem praetulerint. Tamen posteris inusitata non est, ut Philodemo (10 locis) et Straboni (tribus locis)[2]); etiam Dionysius uno loco admisit (ant. XI 56). Multo plura exempla (16) Dio exhibet[3]). Tum autem hic usus denuo repri-

---

[1]) ἂν inseruit Bernardakis.

[2]) Glatzel p. 36, 91.

[3]) Jaekel p. 34.

mitur: apud Philostratos unum exemplum exstat (in 'vit. Apoll.' 57, 21), apud Clementem tria[1]). Addere liceat a chartis Aegyptiis hanc structuram prorsus alienam esse. —

Brevi nunc complectamur, quid de structuris condicionalibus supra tractatis iudicandum sit.

Numerus exemplorum, quae attuli, 317 est, quorum 128 in vitis parallelis, 189 in moralibus inveniuntur. Unde scriptorem has constructiones in moralibus aliquanto saepius quam in vitis usurpavisse apparet, similiter atque optativum potentialem, cuius usum in scriptis historicis eodem modo magnopere circumcisum esse vidimus (cf. p. 68).

Optativus potentialis et in protasi et in apodosi usurpatus haud ita saepe exstat; invenimus 32 exempla. Qua in re Plutarchus a Dionysio longe superatur, apud quem haec structura tertiam fere partem omnium enuntiatorum condicionalium efficit (49 : 149). Praeter potentialem autem optativum Dionysius in apodosi indicativum futuri saepe (42^ies^) adhibet, quam constructionem Plutarchus etiam rarius (15^ies^) quam illam usurpat. Contra indicativum praesentis Plutarchus in apodosi satis saepe (43^ies^), ille autem rarius (15^ies^) admisit secundum praeceptum quod ipse tradidit[2]).

Deinde optativus in enuntiatis comparativis condicionalibus saepe (21^ies^) invenitur, saepius quam optativus potentialis, quem in enuntiatis comparativis 13 locis invenimus (cf. p. 62).

Etiam in iis constructionibus, quarum protasis ex *εἰ* c. ind. pendet, optativus potentialis saepe (36^ies^) usurpatus est; denique 10 locis protasin e particula *ἐάν* pendentem excipit.

Magnam igitur varietatem videmus esse, quae in structuris condicionalibus comparet; nec minus admirabile in Plutarcho est studium omnes sensus differentias quamvis minimas singulis constructionibus exprimendi. Atque in hac quidem re et Dionysium et Diodorum superavisse mihi videtur; tamen quadam e parte magis quam hos a classicorum consuetudine sermonis eum recessisse non nego.

---

[1]) Scham p. 137.

[2]) Dion. Hal. ad Amm. 12 (II p. 431, 17 sq. Us.-R.).

§ 10: Postquam haec exposita sunt, proximum est ut ea exempla contemplemur, quorum in protasi εἰ cum optativo coniunctum pro ἐὰν cum coniunctivo coniuncto post tempus praeteritum exstat, quaeque in eo capite, quod de optativo obliquo est, breviter attingere satis habui (cf. p. 118).

Quem optativum in enuntiatis condicionalibus 92 locis usurpatum invenimus, quorum hos exempli causa profero:

Legimus

a) optativum praesentis 34ies, velut

Alc. 5 (I 380, 14): ἠπείλησε μαστιγώσειν, εἰ μὴ ταῦτα πράττοι
Pomp. 13 (III 200, 9): ὤμοσεν ἀναιρήσειν ἑαυτόν, εἰ βιάζοιντο
mul. virt. M. 255 B: ὑπισχνεῖτο δώσειν, εἰ βούλοιτο . . ἀφικέσθαι

b) optativum aoristi 58ies, velut

Rom. 16 (I 52, 21): εὐξάμενος . . εἰ κρατήσειε καὶ καταβάλοι, . . ἀναθήσειν αὐτὸς τὰ ὅπλα
Ant. 30 (IV 372, 31): ἐλπίζουσαν . . ἀπάξειν τὸν Ἀντώνιον, εἴ τι γένοιτο κίνημα
aet. Gr. M. 296 E: οὐκ ἔφησεν αὐτοῖς δώσειν ἄλλως, εἰ μὴ . . λάβοι.

Quorum exemplorum structuram ab usitata non abhorrere videmus, quam ob rem pauca addenda sunt.

Exempla maxima e parte (81) in vitis parallelis inveniri mirum non est, cum in his ipsis scriptori facultatem orationis obliquae usurpandae multo saepius datam esse quam in moralibus in promptu sit, id quod in omnibus optativi obliqui generibus observari saepius expositum est.

Quibus 92 exemplis 124 loci — 111 in vitis, 13 in moralibus — ex adverso positi sunt, quibus coniunctivus ex ἐὰν pendens tempore praeterito antecedente servatus est, ita ut hanc conspiciamus rationem:

opt. obl. : coni. = 92 : 124 = 1 : 1, 35.

Eadem ratio est[1])

apud	Polybium			1 : 3, 2
	Diodorum	26 : 115	=	1 : 4, 4
	Strabonem	5 : 6	=	1 : 1, 2.

[1]) Kapff p. 78. — Glatzel p. 94.

Etiam Dionysius hoc optativo saepissime (141[ies]) usus est, nec non in chartis Aegyptiis mirum quantum patet[1]). Minore in usu apud Dionem Chrysostomum[2]) et Philostratos est; neque vero id mirum est, cum ex argumento librorum satis intellegatur. Clemens autem usu huius optativi magnopere aucto Dionysio et Plutarcho appropinquat[3]). Qui omnes Philoni cedunt, qui in his enuntiatis optativo quater, coniunctivo semel tantum usus est[4]).

Animadvertendum autem est Plutarchum hunc optativum nisi post praeteritum non admisisse; qua in re cum Polybio Diodoro Dionysio Strabone congruit. Contra reliqui scriptores modo allati optativum obliquum etiam post tempus primarium neglecta Atticorum norma ponere non dubitaverunt.

§ 11: Denique eae constructiones tractandae sunt, quarum in protasi *εἰ* cum optativo iterativo coniunctum est; in apodosi semper tempus praeteritum, plerumque imperfectum, conspicitur.

Invenimus hanc constructionem 44[ies]; exempli causa hos locos profero:

a) opt. praes. (20[ies]):

Lyc. 16 (I 97, 21): *εἰ μὲν εὐπαγὲς εἴη . ., τρέφειν ἐκέλευον*

Alex. 23 (III 304, 20): *εἰ δὲ ὁδὸν βαδίζοι . ., ἐμάνθανεν ἅμα πορευόμενος*

ex inim. util. M. 91 E: *εἰ δὲ μὴ φαίη, πιστεύοντες ἀπῄεσαν* (= Cat. min. 21 [IV 55, 20])

b) opt. aor. (23[ies]):

Ages. 29 (III 174, 30): *εἰ δέ τις . . προέλθοι, . . ταπεινὸς ἐφαίνετο*

Brut. 36 (V 84, 3): *εἰ δὲ συνέλοι καὶ κατοικονομήσειε τὴν . . χρείαν, ἀνεγίνωσκε βιβλίον*

quaest. conv. VII M. 710 E: *ἀπιών, εἴ τις ἐμβάλοι λόγον ἐρωτικόν, ἐθαυμάζετο.*

---

[1]) Harsing p. 43 sq.
[2]) Jaekel (p. 39) 13 exempla affert.
[3]) Scham p. 98—103.
[4]) Reik p. 156 sq.

c) opt. perf. (semel):

Lyc. 24 (I 107, 11): διετέλουν, εἰ μή τι πράττειν ἕτερον εἴη προστεταγμένον, ἐπισκοποῦντες τοὺς παῖδας.

In his quoque enuntiatis eaedem structurae atque apud scriptores Atticos inveniuntur. Mentione dignum est 30 exempla in vitis parallelis, non plura 14 in moralibus legi, quam differentiam in ceteris quoque optativi iterativi generibus statuere potuimus (cf. p. 124).

Quem optativum a Plutarcho aliquantum auctum esse patet spectanti, qualis usus eius apud posteriores fuerit. Diodorus enim 16, Dionysius 37, Strabo autem tria tantum exempla praebet [1]). Dio Chrys. Plutarcho et Dionysio appropinquat (31 ex.); in Philostrati sec. libris 19 tales optativi inveniuntur; paulo minor (15) numerus exemplorum apud Philostratum tertium est (in 'Her.' et 'Imag.') [2]). Paene prorsus in Clementis libris deest [3]).

Accedit quod Plutarchus hunc quoque optativum nisi post tempus secundarium non admisit, i. e. Atticorum consuetudinem sermonis sequitur. Quam alii ut Dio Philostrati Clemens adeo non respexerunt, ut etiam post primarium tempus optativum iterativum coniunctivo praeferrent.

Haec de optativi syntaxi dicenda sunt; nunc, si placet, eorum, quae hac parte exposita sunt, summam brevi faciam.

Universum optativi apud Plutarchum usum si spectamus, maxime varium videmus esse: omnia optativi genera, quae apud classicos inveniuntur, apud hunc quoque in usu sunt, ita ut Plutarchum in optativo usurpando ad classicorum sermonem, non ad linguam vulgarem, in qua illa aetate optativus paene obsolevit, se conformasse appareat. Itaque Plutarchus non solum genera quaedam, sed optativum universum aequabiliter renovare studuit. Accedit quod eisdem quibus classici legibus tenetur, a quibus discedere raro ausus est. Immo vero Atticos tanta fere diligentia vel minutis

[1]) Glatzel p. 94/95.
[2]) Jaekel p. 39/40. 71, 95.
[3]) Scham p. 120/121.

in rebus sequitur, ut in aperto sit, quantum operae his exemplis imitandis dederit. — Quod studium optativi renovandi facillime e tabulis colligi potest, quibus optativi usus qualis apud scriptores nonnullos posteriores a II. a. Chr. n. saeculo observatus est, cum usu Plutarcheo comparatur, cum hae tabulae omnes fere eum in optativi usu scriptoribus Atticis quam maxime appropinquavisse et orationem a vulgari ad classicorum sermonem reflexisse nobis demonstrent.

Sed alia quoque res ex his tabulis cognoscitur. Quas si perlustramus et quem locum Plutarchus inter scriptores allatos obtineat, quaerimus, primum statuendum est eum scriptoribus *κοινῆς* dialecti — Polybio Diodoro — frequentia optativi pro portione constituta in omnibus fere enuntiatorum generibus anteire; neque cuiquam id mirum videri debet, quoniam ab his ipsis scriptoribus optativi usum universum magnopere coërcitum esse constat. Pluris autem interest quaerere, quae ratio inter Plutarchum et atticistas intercedat, i. e. num ille ut in formis grammaticis (cf. p. 51) ita in optativi syntaxi eandem quam atticistae rationem ingressus sit.

Quod ut diiudicemus, Plutarchus primum cum iis comparandus est scriptoribus, qui atticismi vim atque auctoritatem propagare coeperunt. Quorum primus habendus est Philodemus, quippe qui in optativi saltem usu a communi illorum temporum usu aperte recesserit, etsi praecepta subtiliora atticistarum minus curat[1]). Praebet enim potentialem optativum fere solum reliquis optativi generibus neglectis, quam ob rem optativi apud eum usus simplex et uniformis nominandus est. Multo latius optativi usus apud Dionysium Halicarnaseum patet, quem verum atticismi fautorem fuisse nemo nescit. Et iure quidem princeps atticistarum appellari solet, cum ab eius aetate eumque secuti scriptores Atticorum elocutionem consilio ac ratione imitari coeperint, id quod optativi quoque usu confirmatur, quem ab eo potissimum convenienter cum Atticorum norma amplificatum esse Schroefelius nos docuit. Neque enim ut Philodemus potentialem solum coluisse satis habuit, sed omnia optativi genera in usum revocare studebat, id quod minus in

---

[1]) Glatzel p. 37.

scriptis rhetoricis, maxime autem in 'Antiquitatibus', quas post Rhetorica confecit, ei contigisse constat. Itaque ut scriptores hellenisticos, ita Plutarchum a Dionysio hac in re superari putes; et superat Dionysius Chaeronensem frequentia optativi, cum per cent. pag. apud illum 58, 8, apud hunc autem circiter 50 optativi inveniantur. Sed hoc ad quaestionem nostram disceptandam magni momenti non esse puto, praesertim cum differentia inter numeros illos satis exigua sit. Maioris enim momenti est quaerere, qua ratione optativus in singulis enuntiatis ab utroque usurpatus sit, id quod facillime e tabulis supra laudatis cognoscere possumus. Quas si percensemus, Plutarchum semper fere Dionysio praestare statuendum est cum elegantia et varietate sermonis tum eo quod optativi usum augere et in omnia enuntiatorum genera revocare, ceteros autem modos reprimere magis quam hic studet, id quod praecipue in potentialis et obliqui usu observavimus. Itaque Plutarchus non modo eandem viam quam Dionysius ingressus, sed etiam longius progressus est et magis quam hic classicis appropinquavit.

Praeter Dionysium Strabo aequalis eius idoneus est qui cum Plutarcho comparetur. Qui quamquam dialecti κοινῆς scriptor ab omnibus habetur, tamen atticistarum disciplinam Romae cognovit, quae non minimum ad elocutionem eius conformandam videtur valuisse. Quod maxime in optativi usum cadit, quem illos secutus magnopere auxit, velut potentialem, qui in libris eius non minus quam in Dionysii rhetoricis praevalet. Praeterea autem obliquus apud eum latissime patet, ita ut semper fere Dionysium Plutarchum Dionem, haud raro etiam Philostratos frequentia optativi pro portione constituta superet. Tamen statuendum est illum Plutarcho cedere eo quod in optativi usu leges Atticorum non ut hic respicit; ut exemplum afferam, optativum obliquum post primarium quoque tempus usurpavit ita ut tertia fere pars omnium obliquorum contra veterum normam posita sit. Etiam magis quam Strabo ab Atticorum sermone Philo abhorret. Accedit quod hic nimio potentialis usu ornatum verborum efficere frustra studet. Quam ob rem neque hic neque ille Plutarchum adaequare videtur.

Transeamus nunc ad Dionem Chrysostomum, qui iisdem

fere temporibus quibus Plutarchus fuit et ad atticistarum disciplinam quam maxime se applicavit, ita autem ut magis materiam ipsam quam sermonem curaret. Tamen elegantiae cuidam orationis eum quoque operam dare in promptu est, id quod vel maxime ex optativi usu cognosci potest, qui apud eum tantopere increbuit, ut frequentia optativi pro rata parte constituta veteribus magis quam quisquam alius scriptor illius et prioris aetatis appropinquet. Cui Plutarchus quoque hoc in genere cedit; ceteris autem rebus bene inter se congruunt. Ut exempla nonnulla afferam, potentialis apud Dionem usus idem atque in Plutarchi moralibus est, cum ratio inter numerum potentialium et omnium optativorum apud utrumque 1 : 1,8 sit. Neque in optativo obliquo post praeteritum usurpato multum inter utrumque interest (cf. p. 118) neque in iterativo, cui uterque non nimis favet. Quamquam singulas res spectanti differentiae quaedam statuendae sunt, velut in nonnullis optativi obliqui generibus, quae apud Dionem plane neglecta, apud Plutarchum autem haud mediocri in usu sunt; commemorentur exempli causa interrogationes dubitativae, enuntiata relativa, temporalia, causalia, in quibus obliquus apud Dionem omnino non invenitur. Accedit quod non modo obliquo, sed etiam iterativo optativo post tempus primarium satis saepe usus est, quae consuetudo sermonis etsi ne a Plutarcho quidem aliena, tamen angustis terminis circumscripta est. Qua ex re utraque effici mihi videtur ut Plutarchus, quamquam frequentia optativi a Dione longe superatur, tamen ad classicorum usum propius quam hic accesserit.

Denique liceat mihi Plutarchum cum nonnullis comparare atticistis, qui post eum fuerunt, quorum clarissimi Philostrati sunt. Inter quos et Plutarchum totius fere saeculi spatium interest, quo optativi usus magis magisque augetur latissimeque patet. Cuius rei exemplum illustre est Philostratus II., qui in 'vit. Apoll.' frequentia optativi pro rata parte constituta classicos paene adaequat; etiam in 'vit. soph.', quas idem Philostratus scripsit, optativi frequentia multo maior quam apud Dionysium et Plutarchum est, item in Philostrati III. libro qui 'Heroicus' inscribitur. Quae optativi amplificatio non ad unum optativi genus sed ad usum universum pertinet excepto po-

tentiali optativo, qui ab his miro modo paulum imminutus est. Contra optativus optantis denuo saepius usurpatus est; maxime autem usus optativi obliqui — etsi non in omnibus enuntiatorum generibus — auctus est, ita ut indicativus et coniunctivus praeterito antecedente paene prorsus repressus sit. Ne iterativus quidem optativus neglectus est; tamen in hoc genere principem locum Dionysius obtinet, quem hi non magis quam ceteri atticistae supra allati adaequaverunt. Itaque Plutarchus his scriptoribus cum optativi optantis tum obliqui usu cedit; contra potentialis apud eum magis quam apud hos praevalet, iterativo autem et hi et ille eodem fere modo usi sunt. Sed una re haud exigua inter se differunt, eo quod hi optativum obliquum et iterativum etiam saepius quam Strabo et Dio post tempus primarium ponere veriti non sunt, quo demonstratur his scriptoribus optativum nihil aliud esse nisi artificium, quod suo arbitrio modo adhibeant, modo devitent. Longe aliter Plutarchus, cuius usus hac ex parte tam emendatus est, ut cum Dionysio potius quam cum his comparandus sit.

Idem quod de Philostratis dici potest de aequali eorum, Clemente Alexandrino. Hunc quoque ex atticistarum disciplina profectum esse cum aliis rebus tum usu optativi demonstratur. Ad quem quin disciplina illa maximam vim habuerit, dubium non est; id quod vel inde cognoscitur, quod numero optativorum pro rata parte constituto et Dionysium et Plutarchum superat. Tamen apud Clementem ipsum observamus, quam non respecta sit norma classicorum a scriptoribus illius aetatis, cum tot locis a veterum sermone recedat quot ne Philostrati quidem. Utitur enim optativo non tam immoderate quam perverse, ita ut hic potissimum aptus videatur qui nos doceat optativi usum quo longius progressus sit, eo magis ab Atticorum exemplo et auctoritate recessisse. Itaque inter hunc et Plutarchum plures quam inter Philostratos et Plutarchum statuendae sunt discrepantiae, quas commemorandi in hac parte saepius occasio data est. Satis igitur habeo hoc loco dixisse eum ut Philostratos optativo obliquo et iterativo permultis locis mendose, i. e. post tempus primarium usum esse; ne in potentiali quidem cum Plutarcho, nedum Atticis, congruit, et optativi iterativi apud eum usus non modo non emendatus, sed

etiam magnopere coërcitus est. Ex quo efficitur ut Plutarchus huic scriptori elegantia et sinceritate usus optativi minime cedat, immo vero ad Atticorum usum relatus longe superet.

Itaque si haec omnia consideramus, si quantopere Plutarchus ex Atticorum genere scribendi pendeat elocutionemque eorum in suum usum verterit, reputamus, denique si hanc classicorum imitationem scriptorum etiam in rebus minimis cognoscimus, Plutarchum — quod quidem ad optativi usum attinet — in numero atticistarum habendum esse patet. Qua in re eum ipsum huic scribendi generi haud ita favisse, quin etiam obstitisse [1]) mirum est. Neque vero a lingua hellenistica se remotissimum esse, magis quam Dionysium, sentiebat [2]). Ac ne poterat quidem reprimere atticismum, qui tum maxime vigebat et in omnibus rhetorum scholis tradebatur, cum doctissimus quisque sermonem vulgarem sperneret. Qua re differentiam illam inter vulgarem et eruditorum sermonem effectam esse constat, e qua nostrae quoque aetatis lingua Graeca laborat.

Itaque planum me fecisse spero Plutarchum in optativi usu atticistarum auctoritatem secutum esse, quocum bene congruit quod etiam ceteris rebus doctrina eorum non solum tinctum, sed bene eruditum se praebet [3]).

Simul autem quem cursum optativi usus a Dionysii aetate usque ad Plutarchum tenuerit, elucet: hunc modum, postquam in usum revocatus est, initio secundum Atticorum normam usurpari cognoscimus, cuius rei Dionysius et Plutarchus vel luculentissima exempla sunt, postea autem scriptores nimia cupiditate elegantiae et subtilitatis Atticae impulsos saepe modum transisse et optativo mendose usos esse.

---

[1]) Weissenberger p. 5/6.
[2]) Wilamowitz, „D. griech. Lit. d. Altert³." (Kult. d. Gegenw. I 8) p. 221.
[3]) Cf. supra p. 140 sq.

Pars III.

Quoniam copiose expositum est, qualis optativi usus apud Plutarchum sit, nunc videamus, quomodo iis, quae ex hac commentatione collegimus, uti possimus, ut quaestiones quasdam ad Plutarchum pertinentes solvere conemur, quas viri docti semel atque iterum proposuerunt. Constat enim inter omnes in scriptis quae vocantur moralibus nonnullos libellos esse, qui a Plutarcho scripti non sint, id quod non nostrae demum aetatis homines docti velut Benseler Volkmannus Weissenberger alii cognoverunt, sed iam XVI. et XVII. saeculo erant qui in Plutarchi operum studio versati quorundam libellorum moralium elocutionem et argumentum ab illo multis locis abhorrere recte intellegerent[1]). E quibus nominandi sunt Muretus et Meziriacus; postea autem imprimis Valckenaerius, Reiskius[2]), Wyttenbachius[3]) de hac quaestione solvenda bene meruerunt. Tamen nondum omnia, quae in his scriptis quaerenda videntur esse, ad exitum venerunt; quam ob rem operae pretium esse puto quaestionem illam hoc loco denuo tractare, praesertim cum optativi usum in genuinis Plutarchi libris accurate investigatum egregio nobis adiumento fore sperem ad controversiam diiudicandam, utrum libellus a Plutarcho scriptus an subditus sit.

In his enim quaestionibus instituendis id tenendum est omnem argumentationem, qua demonstretur, utrum libellus de quo agitur genuinus sit necne, non modo e libelli argumento, rerum tractatione, universo dicendi genere diiudicando, sed etiam e sermonis consuetudine et ratione grammatica, quam scriptor secutus est, subtiliter exquisitis petendam esse.

Nam illae rationes aliae magis aliis ex uniuscuiusque opinione pendent, haec autem argumenta ab opinionis arbitrio seiuncta et quasi fundamenta sunt, quibus nixi certum iudicium de iis,

---

[1]) Cf. Wyttenb. mor. vol. I. praef. p. 1—134 (ed. Oxon.). — R. Hirzel „Plut.“ p. 117 sq.

[2]) 'Animadv. ad Graec. auct.' vol. II. (Lips. 1759).

[3]) 'Animadv. in Plutarchum' 3 voll. Oxon. 1810/21.

quae in controversiam cadunt, facere possimus[1]). Itaque a falso principio profectum esse Volkmannum — ut redeam ad Plutarchi libros — mihi persuasi, qui argumenta e sermone et ratione grammatica libellorum, de quibus disputavit, sumpta prorsus fere aspernatus est[2]). Cui contrarius est Dinsius, qui talia argumenta esse firmissima iure censuit et ab his profectus in complura scripta moralia subtiliter inquisivit[3]). Eandem rationem ingressus est Weissenberger, qui in dissertatione laudata omnes Plutarchi libellos, qui in dubium vocati sunt, diligentissime persecutus est et nuperrime denuo postulavit, ut quaestiones ad Plutarchi elocutionem et consuetudinem scribendi pertinentes instituerentur[4]).

Itaque ego quoque rem propositam ita tractare in animo habeo ut maxime de optativi in omnibus scriptis moralibus, quae in suspicionem vocata sunt, usu disseram, secundo autem loco alia argumenta nova, quae alicuius momenti esse mihi videntur, afferam.

Priusquam autem rem ipsam aggrediar, nonnulla de vitis parallelis praedicam. Quas etsi esse genuinas omnes viri docti nunc consentiunt, tamen erant qui aliter iudicarent. Rankius, ut exemplum illustre afferam, Galbae et Othonis vitas a Plutarcho scriptas esse negavit[5]). Et abhorrent hi libelli, quos Plutarchus aetate iam provecta videtur confecisse[6]), aliqua e parte a ceteris, id quod ex optativi quoque usu intellegi potest, qui in his vitis multo rarius (7^{ies} per 45 paginas i. e. circiter 16^{ies} per cent. pag.) quam in ceteris (52^{ies} per centenas

[1]) Cf. Dittenberger, „Sprachl. Kriterien f. d. Chronologie d. Plat. Dial.“ (Herm. XVI [1881] p. 321). — Schanz, „Z. Entwickelung d. Plat. Stils“ (Herm. XXI [1886] p. 440). — Focke, quaest. Plut. (1911 Münster) p. 52.

[2]) Volkmann p. 112.

[3]) M. Dinse, de libello Plut. *γυναικῶν ἀρεταί* inscripto 1863 Berol.
— , „Beitr. z. Kritik d. Trostschr. Plut.“ (Festschr. z. Säkularf. d. Berl. Gymn. z. gr. Kloster 1874 Berl.).

[4]) Weissenberger, Burs. Jahr. 129 (1906) p. 97.

[5]) Ranke, Weltgesch. III 2, 285.

[6]) J. Muhl, „Plutarchische Studien“ (1885 Augsburg) p. 20. Contra Mommsenus (Herm. IV [1869] p. 295 sq.) has vitas Plutarcho adulescenti tribuit, quam sententiam refellerunt Wachsmuthius et Wölfflinus (cf. Kornemann „Röm. Kaiserzeit“ in Gercke-Norden Einl. III [1912] p. 245).

paginas) invenitur. Tamen hanc rem magni momenti non esse puto; si enim, quanta in singulis vitis frequentia optativi — pro portione constituta — sit, quaerimus, statuendum est rationem, quae inter numerum optativorum et paginarum intercedit, maxime esse variam. Nam vitas complures — velut Alcibiadis et Coriolani, Pelopidae et Marcelli, Niciae et Crassi — invenimus, in quibus optativus aliquanto rarius quam in reliquis usurpatus est (40ies per centenas paginas); his autem aliae — velut vitae Lycurgi et Numae, Dionis et Bruti — opponendae sunt, in quibus non minus 66 optativi per centenas paginas inveniuntur. Itaque cum tanta inter singula vitarum paria sit differentia, merum numerum formarum optativi magni momenti non esse apparet.

Idem autem in moralia scripta transferri potest, in quibus etiam maiores differentiae usus inter singulos libellos conspiciuntur. Neque id mirum est, cum scripta moralia temporibus maxime diversis, quaedam ab adulescente, alia a iuvene, alia ab aetate iam provecto, vitae autem omnes extrema Plutarchi aetate confectae esse videantur[1]), id quod vel maxime eo comprobatur, quod in his atticistarum disciplinam diligentius sequitur quam in illis[2]).

Similes differentias etiam in numero hiatuum, qui in singulis scriptis moralibus inveniuntur, observari mentione dignum est; invenimus enim in libellis quibusdam hiatum rarissime (0,20ies per centenos versus), in aliis autem tam saepe (9, 16ies per cent. vers.), ut 'hiatum plus minusve apparentem aliquid rationis habere cum tempore, quo quisque liber sit compositus' sint qui censeant[3]).

---

[1]) J. J. Hartman, de Plut. studiis Latinis (Mnem. 34 [1906] p. 307—316). Qui vitas a. 117 editas esse censet. — Christ-Schmid[5], „Gesch. d. griech. Litt." pars II. (1911 München) p. 393.

[2]) Cl. Lindskog, de Plut. atticista (Från Filolog. Föreningen i Lund Sprakliga Uppsater III [1906 Lund-Leipz.] p. 186).

[3]) O. Kolfhaus, Plutarchi de comm. not. librum genuinum esse demonstratur (1907 Marp.) p. 14—16, 19. Cui assentiuntur Weissenberger, Burs. Jahr. 129 (1906) p. 109. — F. Bock, Burs. Jahr. 152 (1911) p. 331/332.

Tamen idem de optativis plus minusve usurpatis dici non posse mihi persuasum est. Invenimus enim in libellis, quos a Plutarcho adulescente scriptos esse verisimillimum est, eundem fere optativorum numerum pro portione constitutum quem in iis, qui multis annis post compositi sunt. Ut exemplum afferam, scripta quae dicuntur rhetorica Plutarchi iuventuti esse adscribenda omnes consentiunt[1]). Sunt autem imprimis hi libelli:

de superstitione, de fort. Rom., de glor. Athen., de fort., de vitioso pud., de curios., an vitios. ad infel. sufficiat, de esu carn., bruta rat. uti[2]).

In quibus 50 optativi sunt. Conspicimus igitur, cum haec scripta 148 fere paginas Bern. vel 108 fere pag. Sint. amplectantur, hanc rationem:

num. pag. : num. opt. = 108 : 50 = 100 : 46.

Quibus ex adverso ponendi sunt libelli quidam, quos a Plutarcho sene conscriptos esse apparet. Sunt hi[3]):

an seni resp. sit ger., praec. gerend. reip.[4]), de cap. ex inim. util., de primo frigido.

Invenimus autem in his scriptis 46 optativos per 150 paginas Bern. (= 109 fere pag. Sint.), ita ut haec ratio sit:

num. pag. : num. opt. = 109 : 46 = 100 : 42.

Unde ex mero optativi formarum numero coniecturam fieri non posse patet, quo tempore singuli libelli scripti sint.

Sed ut redeam ad propositum, scripta moralia numero optativorum multum inter se differre supra dictum est, magis quam vitas parallelas. Invenimus enim in moralibus libellos quosdam, in quibus non amplius 15 optativi per centenas paginas (Sint.) reperiuntur, velut libellos qui inscribuntur 'de Iside et Osiride' et 'de animae procreatione in Timaeo'; in

---

[1]) Wyttenbach animadv. I p. 60 (ed. Ox.). — R. Hirzel, „D. Dialog" (1895 Lpzg.) II p. 147. — J. P. Mahaffy, the silver age of the Greek world (London 1906) p. 339 sq., 368.

[2]) Muhl p. 25. — Hirzel II p. 126 adn. 3; p. 131 adn. 2; p. 155 adn. 1. — Kolfhaus p. 20. — Christ-Schmid II p. 371.

[3]) Kolfhaus p. 19/20. — Christ-Schmid II p. 371.

[4]) Cf. K. Mittelhaus, de Plut. praec. ger. reip. (1911 Berol.) p. 25—29. Qui 'praecepta' intra annos 115 et 120 a Plutarcho composita esse censet.

aliis autem optativus tam saepe usurpatus est, ut per centenas paginas 102ies — velut in disputatione quae inscribitur 'de genio Socratis' —, quin etiam 172ies — in 'convivio septem sapientium' — inveniatur. Permagnae igitur differentiae inter singulos libellos sunt, quam ob rem numerum optativorum, qui in libris non genuinis vel suspectis inveniuntur, ad quaestionem solvendam, utrum Plutarchi sint hi libelli necne, nisi caute adhibendum non esse puto, ne nimis angustis normis et regulis libertatem scriptoris coërcere videamur.

Quoniam haec exposui, ad singula scripta inspicienda transeamus, qua in re eum ordinem sequar, ut primo loco in eos inquiram libellos, qui etsi genuini mihi videntur, tamen aliquando in dubium vocati sunt, deinde in eos, de quibus certum iudicium fieri non potest, quod optativus in iis rarissime invenitur, denique in eos, quos iniuria ad Plutarchum auctorem relatos esse mihi persuasum est.

a) Primum igitur nos convertamus ad eas commentationes, quae quin re vera a Plutarcho scriptae sint non dubito, etsi a quibusdam viris doctis non genuinae habentur, et incipiamus a libello, quo Plutarchus septem sapientes qui dicuntur disputantes fingit et cenam, ad quam a Periandro, Corinthi tyranno, vocati sunt, describit; qui inscribitur

συμπόσιον τῶν ἑπτὰ σοφῶν
'convivium septem sapientium'.

Quem genuinum esse ex quo Reiskius [1]) et Meinersius [2]) negaverunt, etiam atque etiam sunt viri docti, qui ad eorum sententiam accesserint, velut Benseler [3]), Doehner [4]), Volkmannus [5]), nuperrime Radermacher [6]). Tamen hanc rem eos fefellisse

---

[1]) Reiske, Animadv. II (1759 Lips.) p. 176.
[2]) Meiners, „Gesch. d. Wissensch. in Griechenland und Rom" (1781 Lemgo) I p. 120 sq.
[3]) Benseler, de hiatu . . . p. 435.
[4]) Doehner, quaest. Plut. II p. 44.
[5]) Volkmann p. 188 sq.
[6]) Radermacher, Rh. Mus. 63 (1908) p. 540.

puto et adstipulor Muhlio[1]), Wilamowitzio[2]), Hauckio[3]), Weissenbergero[4]), aliis[5]), qui genuinum hoc scriptum esse demonstrare studuerunt. Quod iudicium optativi quoque in hoc libro usu confirmatur, qui omni ex parte cum Plutarcheo congruit. Hoc unum mentione dignum est frequentiam formarum optativi pro portione constitutam aliquanto maiorem esse quam in ceteris Plutarchi libris (cf. p. 150). Sed hinc non effici ut libellus subditus sit, supra expositum est; accedit quod in eo libro, qui 'convivii' simillimus est et eodem fere tempore confectus videtur esse[6]), in disputatione quae inscribitur 'de genio Socratis', numerus optativorum pro portione constitutus etsi minor (100 : 102) quam in 'convivio' (100 : 172), tamen maior est quam in reliquis Plutarchi libris. Cuius rei causa haec videtur esse, quod in utroque libello, praecipue autem in 'convivio', oratio indirecta praevalet, ita ut scriptori facultas optativi obliqui usurpandi multo saepius data sit quam in ceteris scriptis moralibus; qua in re hos libros generi historico vitarum appropinquare apparet. Praeterea autem Plutarchus in his opusculis orationem rhetorice ornare studet. Quam rem ut assequatur et ubertatem et copiam orationis efficiat, etiam aliis optativi generibus, praecipue potentiali, saepe uti non veretur.

Sed praeter hanc rem nihil in 'convivio' est, quod nos de Plutarcho auctore dubitare cogat[7]).

Formae optativi omnes secundum morem huius scriptoris conformatae sunt.

Etiam usus temporum et generum verbi cum Plutarcheo

---

[1]) Muhl p. 27—29.

[2]) Wilamowitz, Herm. XXV (1890) p. 196 sq.

[3]) G. Hauck, „Plut. v. Chaer. der Verf. des Gastmahls d. 7 Weisen", 1893 Burghausen.

[4]) Weissenberger p. 50—56.

[5]) Hirzel II p. 132 sq. — Fr. Ullrich, „Entstehung und Entwicklung d. Litteraturgatt. d. Sympos." (I/II Würzburg 1908/09) II p. 44. — Christ-Schmidt II p. 374 adno. 4. — J. J. Hartman, ad Plut. mor. annot. crit. Mnem. 41 (1913) p. 86.

[6]) Hirzel II p. 152 sq. — Christ-Schmid II p. 373/374.

[7]) Hartman, Mnem. 41 (1913) p. 87.

congruit. Invenimus enim in 'convivio' 22 optativos praesentis et 33 optativos aoristi, ita ut ratio sit haec:

opt. praes. : opt. aor. = 22 : 33 = 1 : 1, 5;

in ceteris Plutarchi scriptis ratio 1 : 1, 38 est (cf. p. 23). Quod ad genera verbi attinet, hanc rationem in optativo conspicimus:

opt. act. : opt. med. = 33 : 16 = 2, 1 : 1,

in ceteris Plutarchi libris (cf. p. 24) 2, 59 : 1.

Quod autem maius est, constructiones, in quibus optativus usurpatus est, nulla in re a Plutarchi genere dicendi recedunt, id quod exemplis nonnullis comprobare liceat.

Potentialis 15[ies] inter 57 optativos (= 1 : 3, 8) invenitur, i. e. paulo rarius quam in ceteris scriptis moralibus (1 : 1, 8). Nec vero id mirum est, cum sermo huius libelli magis historicus quam oratorius sit, id quod etiam optativo obliquo saepius usurpato comprobari supra (p. 151) dictum est.

In sententiis enuntiativis Plutarchus particula ὡς paulo saepius quam ὅτι utitur (cf. p. 84); etiam in 'convivio' tempore praeterito antecedente ὡς 11[ies], ὅτι 9[ies] legimus. Praeterea ὡς 8[ies], ὅτι semel optativum obliquum asciscit, id quod cum iis, quae supra (p. 84) de particularum in sententiis enuntiativis usu Plutarcheo exposita sunt, optime congruit.

Idem de structuris finalibus dici potest, in quibus scriptorem 'convivii' particulam ὅπως ceteris videmus praeferre; utitur enim hac post praeteritum tempus 5[ies], ὡς autem non amplius bis, i. e. plane eodem modo ac Plutarchus (cf. p. 107). Etiam optativus obliquus e tempore praesenti in his enuntiatis pendens — quae constructio in 'convivio' duobus locis (M. 147 E post ὅπως et M. 159 C post ὅπως ἄν) comparet — apud Plutarchum non raro (8[ies] praeter locos modo allatos; cf. p. 109 sq.) invenitur, etiam post impuras quae dicuntur particulas finales, velut 'praec. ger. reip.' M. 815 C (post ὡς ἄν).

Quae cum ita sint, optativi usum eundem esse atque apud Plutarchum concedemus, qua re novum argumentum iis, quae antea viri docti attulerunt, additum esse reor.

Progrediamur nunc ad commentationem etsi brevem, tamen aestimatione dignam, quae inscribitur

περὶ τοῦ μὴ δεῖν δανείζεσθαι
'de vitando aere alieno'.

Quae utrum genuina sit necne, adhuc in controversia est, cum alii ut Benseler [1]) et Volkmannus [2]) subditam eam esse censeant, alii negent. Illis Weissenberger [3]) assensus est; Benseleri autem argumenta ex hiatuum multitudine petita et Volkmanni refutavit H. Heinze [4]), ad quam sententiam alii ut Wilamowitzius [5]) accesserunt. Dolendum autem est optativi in hoc opusculo usum ad hanc quaestionem diiudicandam non multum conferre, cum duobus tantum locis, qua est brevitate libellus, reperiatur, quorum neuter a Plutarchi genere scribendi abhorret, cum altero loco (M. 828 B) optativum potentialem cum *ἂν* coniunctum, altero loco

M. 831 B: *ὥσπερ εἰ λέγοι πρὸς ἰατρὸν ἄρρωστος*

constructionem Plutarcho usitatissimam inveniamus, quae compluribus aliis locis scriptorum moralium invenitur, velut

non posse suav. M. 1103 C: *ὥσπερ εἴ τις . . λέγοι*
gen. Socr. M. 582 C; quaest. conv. IV M. 664 C.

Accedit quod etiam ceteris rebus ratio grammatica, quam scriptor huius libelli sequitur, cum Plutarcho bene congruit. Commemorasse satis habeo neque negationum [6]) neque particularum *τε καὶ* [7]) usum cum Plutarchi consuetudine sermonis discrepare, etsi diligentius in has res inquirere brevitate libelli nos prohiberi non nego.

---

[1]) Benseler p. 512.

[2]) Volkmann p. 180.

[3]) Weissenberger p. 70—72.

[4]) H. Heinze, „Plut. Untersuch." 1873 Berlin; — Burs. Jahresb. XXX (1882) p. 252. — Weissenberger in errore versatur, cum ab Heinzio argumenta, quibus libellum esse subditum demonstretur, allata esse dicit (p. 70).

[5]) Wilamowitz, Herm. XXV (1890) p. 206 adn. 2.

[6]) Stegmann p. 33.

[7]) De his particulis ab oratoribus Atticis et a Plutarcho usurpatis cf. Fuhr, „Exkurse z. d. att. Rednern", Rh. Mus. 33 (1878) p. 578 sq.

Itaque ut dicam quod sentio, hunc librum a Plutarcho compositum esse crediderim.

Etiam disputationem quae inscribitur

περὶ τῆς Ἡροδότου κακοηθείας
'de Herodoti malignitate'

Plutarchi esse erant viri docti qui negarent — velut praeter Baehrium et Doehnerum[1]) Haebler[2]) et Majchrowiczius[3]), — quibus alii velut Lahmeyer[4]), Holzapfelius[5]), Muhlius[6]), praecipue autem Weissenberger[7]) opponendi sunt, qui argumentis non contemnendis nixi genuinam habent. Inquiramus igitur, utra sententia optativi in hoc libro usu probetur.

Numerus optativorum, quos in libello invenimus, 20 est; habemus igitur, si paginas Bern. (55) in Sintenisianas (40) transferimus, hanc rationem:

num. pag. : num. opt. = 40 : 20 = 100 : 50,

quae ratio ad eam, quam apud Plutarchum universum invenimus, optime quadrat.

Etiam ratio, quae inter numerum optativorum activi et medii est, a Plutarcho vix abhorret; est enim in hoc libro

opt. act. : opt. med. = 13 : 6 = 2, 2 : 1,

apud Plutarchum (cf. p. 24) 2, 59 : 1.

Contra, si numerum optativorum praesentis cum optativis aoristi comparamus, haec ratio conspicitur:

opt. praes. : opt. aor. = 6 : 14 = 1 : 2, 3;

est igitur differentia quaedam inter hanc rationem et eam, quam apud Plutarchum universum statuimus (1 : 1, 38).

---

[1]) Weissenberger p. 73.

[2]) A. Haebler, quaest. Plutarcheae duae (1873 Lips.).

[3]) Fr. Majchrowicz, de auctoritate libelli Plutarchei qui π. Ἡ. κ. inscribitur (1881 Leopol.).

[4]) Lahmeyer, de libro Plut. qui de mal. Her. inscribitur et auctoritate et auctore (1848 Gottingae).

[5]) Holzapfel, Philol. 42 (1884) p. 23—53.

[6]) Muhl p. 25.

[7]) Weissenberger p. 73—77.

Contemplemur nunc constructiones quae optativum asciscunt:

Potentialis 6 locis invenitur, ita ut haec sit ratio inter numerum

potentialium et omnium opt.:

6 : 20 = 1 : 3, 3,

quae ratio eadem fere est atque in ceteris Plutarchi scriptis (1 : 3).

In sententiis enuntiativis e praeterito pendentibus optativum obliquum 5[ies] (M. 856 E; M. 859 C (bis); M. 863 C; M. 866 E), indicativum 15[ies] invenimus; ratio inter hos numeros est

opt. obl. : ind. = 5 : 15 = 1 : 3

et cum Plutarcho (1 : 3, 4; cf. p. 82) bene congruit.

Quod ad particularum usum attinet, *ὡς* totidem locis (10) quot *ὅτι* usurpatum est — Plutarchus in universum *ὡς* alteri particulae paulo praefert —; obliquus autem optativus quater ex *ὡς*, semel ex *ὅτι* pendet, qui usus idem atque apud Plutarchum est.

Etiam in enuntiatis finalibus e praeterito pendentibus haec cum Plutarchi sermone similitudo manifesta est. Invenimus enim in his enuntiatis optativum obliquum et coniunctivum ternis locis (optativum M. 860 B; M. 865 D; M. 867 D, coniunctivum M. 862 C, M. 863 C, M. 872 B) — apud Plutarchum haec ratio 1 : 1, 3 est —; praeterea *ὅπως* particulam ceteris praeferri — aeque atque apud Plutarchum — apparet, cum haec quater (c. coni. M. 862 C et M. 872 B; c. opt. M. 860 B et M. 867 B coniuncta), *ὡς* autem et *ὡς ἄν* singulis locis (*ὡς* c. opt. M. 865 D; *ὡς ἄν* c. coni. M. 863. C) inveniantur.

Denique locutiones quaedam, in quibus optativus usurpatus est, in aliis quoque Plutarchi scriptis inveniuntur, velut haec

M. 864 B: *τί γὰρ ἄν τις ἔτι δυσχεραίνοι . .*;
= comm. not. M. 1065 A: *ἀλλὰ τί ἄν τις ἐπὶ τούτοις δυσχεραίνοι . .*;

vel haec

M. 872 A: *τοῖς Ἀθηναίοις οὐκ ἔχων ὅ τι χρήσαιτο*
= Sert. 12 (III 99, 21): *οὐ γὰρ εἶχεν . . ὅ τι χρήσαιτο . . ἀνδρὶ τολμητῇ.*

Videmus igitur optativum a scriptore huius libelli eodem fere modo atque a Plutarcho usurpatum esse; itaque cum Weissenbergero scriptum genuinum habere non dubito.

Restat ut commemorem etiam particularum *τε καί* usum cum Plutarcho congruere [1]. Et liceat mihi dicere etiam alios viros doctos idem iudicium fecisse de hoc libro, velut Hirzelium [2] et Crusium [3], quibus Christ-Schmid addi potest, qui hoc opusculum Plutarchi esse nuperrime pro certo affirmavit [4]. —

Difficilius est diiudicare, utrum libellus qui inscribitur

αἴτια φυσικά
'aetia physica' vel 'quaestiones naturales'

genuinus an subditus sit. Etsi enim Doehner [5] et Volkmannus [6] Plutarchi eum esse negaverunt, tamen alii, imprimis Weissenberger [7] et Dielsius [8], ad hunc auctorem eum referendum putant.

Dolendum est optativi usum non multum valere ad hanc quaestionem disceptandam, cum hic modus uno tantum loco reperiatur:

M. 917 F: *λέγεται δὲ μῦθος, ὡς τὴν Κόρην . . ὁ Πλούτων ἀφαρπάσειε,*

quam constructionem a Plutarcho minime alienam esse moneo (cf. p. 86).

Praeterea codices optativum exhibent

M. 919 A: *πολλάκις σώζεται ** αμὴ καὶ δέοι ἡ τῶν ὀδόντων.*

Quem locum corruptum esse patet. Quam ob rem Bernardakis scribendum esse opinatur:

καὶ ὅρα μὴ καὶ δεῖ ἧττον ὀδόντων.

---

[1] Fuhr, Rh. Mus. 33 p. 591.
[2] Hirzel, „Dialog" II p. 127 adn. 2; — „Plut." p. 18.
[3] Crusius, Philol. 58 (1899) p. 578. 591.
[4] Christ-Schmid II p. 384.
[5] Doehner, quaest. Plut. II p. 14.
[6] Volkmann p. 188.
[7] Weissenberger p. 81/82.
[8] Diels, Aristotelica II (Herm. 40 [1905] p. 315 adn. 1).

Haec autem emendatio minus placet, quod Bernardakis enuntiatum esse interrogationem indirectam ratus plura mutare coactus est; ne optativum quidem intactum reliquit, cum Plutarchum in his interrogationibus optativum obliquum nisi post praeteritum non usurpavisse intellegeret. Facilior est emendatio Xylandri:

ἵνα μὴ καὶ δέοι τῶν ὀδόντων.

Qui etsi sensum quodammodo restituit, tamen simplicior coniectura Benseleri magis probanda videtur esse, qui locum hoc modo corrigi voluit:

εἰ μὴ καὶ δέοι τῶν ὀδόντων

i. e. 'nisi forte dentibus quoque opus sit' (sc. urso).

Itaque ut ex optativi usu argumenta firma, quibus libellum esse genuinum demonstretur, sumamus fieri non potest; tamen si id quod sentio dicere licet, hoc opusculum a Plutarcho confectum esse mihi persuasi, quod iudicium et sermone et consilio, quo scriptum est, praecipue autem eo confirmatur, quod orationem simillimam esse eius, qua Plutarchus in 'aetiis Romanis' utitur, observare possumus [1]).

Transeamus nunc ad aliam Plutarchi commentationem quae inscribitur

περὶ τῶν κοινῶν ἐννοιῶν πρὸς τοὺς Στωϊκούς
'de communibus notitiis adversus Stoicos'.

Quam Benseler [2]) et Volkmannus [3]) in dubium vocaverunt, quos Weissenberger [4]) secutus est. Quorum argumenta refellere imprimis Kolfhausius [5]) studuit. Neque alii viri docti velut Hirzelius [6]) et Giessenius [7]) dubitant quin a Plutarcho composita sit.

---

[1]) Etiam Christ-Schmid (II p. 387 adn. 3) negat esse, cur de authentia libelli dubitemus.

[2]) Benseler p. 531/532.

[3]) Volkmann p. 210.

[4]) Weissenberger p. 86—88.

[5]) Cf. p. 148 adn. 3.

[6]) Hirzel II p. 222 sq.

[7]) Giessen, de Plutarchi contra Stoicos disputationibus (1889 Münster) p. 2—5.

Optativus in hoc libro 41ies invenitur, ita ut ratio inter numerum

paginarum [1]) et optativorum

sit 56, 2 : 41 = 100 : 72, 9;

quae ratio etsi maior est quam ea, quae in universum in Moralibus conspicitur, tamen minime modum transit, cum eadem fere ratio, ut duo exempla afferam, et in libro qui inscribitur 'non posse suaviter vivi secundum Epicurum' et in libro 'adversus Coloten' scripto statuenda sit.

Optativi formae omnes ita conformatae sunt, ut Plutarchi consuetudinis est, neque habemus cur terminationem *-αις* secundae personae singularis aoristi primi activi (M. 1062 B: *θαυμάσαις*) miremur, cum idem exitus etiam alio loco:

non posse suav. M. 1098 B: *ὑπομείναις*

inveniatur. Accedit quod Plutarchus in tertia quoque persona singularis terminatione Attica quae vocatur — etsi multo rarius quam Aeolica — usus est. Ne *ὑπόθοιτο* quidem formam (M. 1070 D) a Plutarcho alienam esse supra (p. 50) exposui.

Pergamus ad optativi tempora et genera verbi inspicienda.

Invenimus optativum activi 27ies, medii 10ies, ita ut ratio sit haec:

opt. act. : opt. med. = 27 : 10 = 2, 7 : 1

(ratio universa apud Plutarchum est 2, 59 : 1).

Optativus praesentis 17ies, aoristi 24ies usurpatus est; ratio igitur inter hos numeros est:

opt. praes. : opt. aor. = 17 : 24 = 1 : 1, 41

(apud Plutarchum 1 : 1, 38).

Unde optime has rationes cum iis, quas apud Plutarchum statuimus, congruere apparet.

Neque in constructionibus est cur moremur, cum a legibus, quas Plutarchus in syntaxi sequitur, non abhorreant. Cuius rei exempla duo afferre satis habeo.

Optativus potentialis 25ies inter 41 formas est; conspicimus igitur hanc rationem inter hos numeros:

opt. pot. : omn. opt. = 25 : 41 = 1 : 1, 64,

---

[1]) 77 pag. Bern. = 56, 2 pag. Sint.

quae ei, quam in ceteris scriptis moralibus observavimus (1 : 1, 8), admodum appropinquat.

Constructio quam invenimus

M. 1061 B: *φανεῖταί σοι παρὰ τὴν κοινὴν ἔννοιαν, εἰ . . ὁ φρόνιμος . . τοιοῦτος ἂν κἂν τούτοις εἴη*

saepius a Plutarcho usurpata nec mutanda est (cf. p. 130).

Itaque ut haec quae exposui complectar, inter optativi in hoc libro usum et Plutarchi consuetudinem scribendi videmus nullam differentiam intercedere.

Atque etiam hoc animadvertendum est ne *τε καὶ* quidem particularum usum cum Plutarcho discrepare [1]).

Quae cum ita sint, hanc disputationem a Plutarcho scriptam esse dicere non dubito. —

b) Quoniam eos tractavi libellos, quos genuinos esse mihi optativi usu confirmatur, proximum est ut eos persequar, de quibus certum iudicium fieri non potest, praecipue propterea quod breviores sunt, quam ut copiam exemplorum praebeant. Tamen haec scripta leviter attingam, cum in his quoque sint quae alicuius momenti esse mihi videantur.

Ac primum quidem de libello qui inscribitur

περὶ τῆς εἰς τὰ ἔκγονα φιλοστοργίας
'de amore prolis'

pauca dicenda sunt. Quem genuinum esse Volkmannus [2]), Doehner [3]), Patzigius [4]), Dyroffius [5]) censuerunt, Weissenberger [6]) negavit, etsi ipse se argumenta magis ex iis, quae libello continentur, quam e sermone et ratione grammatica eius sumpsisse concedit. Neque inveniuntur quae a Plutarchi genere dicendi recedant aut in optativi usu, quem bis (M. 495 A in protasi structurae condicionalis, cuius in apodosi indicativus futuri est;

---

[1]) Fuhr, Rh. Mus. 33 p. 589.

[2]) Volkmann p. 186.

[3]) Doehner, quaest. Plut. III (1862 Misniae) p. 26 sq.

[4]) H Patzig, quaestiones Plut. (1876 Berol.) p. 3—16.

[5]) Dyroff, „D. Tierpsychologie d. Plut. v. Chaeronea" (1897 Würzburg) p. 38.

[6]) Weissenberger p. 66—68.

M. 496 C cum ἄν potentiali coniunctum) invenimus, aut in ceteris rebus grammaticis. Et discrepantiae illae, quas inter hunc et alios Plutarchi libros se repperisse Weissenberger putat, non tantae mihi videntur esse, ut librum subditum habere liceat.

Itaque haud scio an haec quoque commentatio a Plutarcho confecta sit.

Etiam opusculum quod inscribitur

σύγκρισις Ἀριστοφάνους καὶ Μενάνδρου
'Aristophanis et Menandri comparatio'

utrum genuinum sit necne, in dubium vocaverunt nonnulli viri docti velut Bernardakis [1]), quamquam omnia, quae hoc libro continentur, optime cum iis congruunt, quae Plutarchus aliis locis de his poëtis dicit [2]). Neque neglegendum est et libelli initium mutilum et extremam libri partem nihil aliud nisi epitomen quae vocatur esse [3]), ita ut ea, quae ad Plutarchi genus scribendi non quadrant, non huic, sed ei qui librum excerpsit tribuenda esse videantur [4]).

Optativus in hoc scripto brevissimo bis reperitur, quorum alter (M. 853 D) potentialis est, alter (M. 853 F) in protasi structurae condicionalis ex εἰ pendet.

Quas duas formas in primo et secundo libelli capite, in quibus nonnullae partes scripti prioris conservatae videntur esse, non in sequentibus, quae summaria esse supra dixi, inveniri mentione dignum est.

Restat ut commemorem iam Phrynichum hanc 'comparationem' a Plutarcho esse scriptam scire [5]); itaque iure fortasse Christ-Schmid libellum genuinum habet [6]), quod idem Benseler videtur sensisse, qui librum 'compendium perditi operis Plutarchei' appellavit [7]). —

---

[1]) Ut omnes libellos subditos, ita hunc quoque asterisco notat.
[2]) R. Jeuckens, „Plut. v. Chaer. u. d. Rhetorik" (1907 Strassb.) p. 66.
[3]) Jeuckens p. 62.
[4]) Jeuckens p. 66.
[5]) The new Phryn. (ed. Rutherford) p. 344.
[6]) Christ-Schmid II p. 384.
[7]) Benseler p. 414.

Etiam num libellus qui inscribitur

περὶ τοῦ πότερον ὕδωρ ἢ πῦρ χρησιμώτερον
'aquane an ignis sit utilior'

genuinus sit, id quod Meziriacus et Xylander negaverunt, diiudicare difficile videtur, cum non amplius 9, 5 paginas Bern. (= 7 pag. Sint.) amplectatur. Tamen in hoc opusculo optativum 9ies reperimus, ita ut hanc rationem conspiciamus inter numerum paginarum et optativorum:

7 : 9 = 100 : 128.

Saepius igitur usurpatus est quam in ceteris Plutarchi scriptis excepto 'convivio VII sapientium'. Contra ratio inter numerum optativorum praesentis et aoristi, quae 4 : 5 = 1 : 1, 2 est, cum ea quam apud Plutarchum statuimus (1 : 1, 38), bene congruit. Medii autem optativus omnino non usurpatus est.

Accedit quod inter hos 9 locos 8ies optativus potentialis, semel (M. 957 E) optativus in protasi structurae condicionalis ex *εἰ* pendente invenitur.

Unde optativum quasi merum artificium rhetoricum a scriptore usurpatum esse patet. Quod cum a Plutarcho in universum prorsus alienum sit, Christius eo explicare conatur, quod hunc libellum naturam diatribarum quae vocantur prae se ferre et prima Plutarchi aetate scriptum esse dicit[1]). Et concedendum est optativi in hoc libro usum nimis rhetorum scholas, in quibus tales declamationes tum magnopere vigebant, redolere, ita ut Plutarchi adulescentis eum esse non sine causa arbitrari nobis liceat.

Restat ut Wegehauptium, qui nuperrime huius libelli editionem criticam foras dedit (cf. p. 10), de authentia non dubitare commemorem[2]). —

c) Transeamus ad ea scripta, quae quin a falsariis subdita sint non dubito, et videamus, quantum ad hanc rem comprobandam optativi usus accuratius investigatus conferre possit.

---

[1]) Christ-Schmid II p. 381. Cf. etiam Hirzel II p. 126 adn. 3. Krauss p. 58—67.

[2]) Wegehaupt l. l. p. 146/147.

Ae primum quidem inspiciamus libellum, qui inscribitur

περὶ παίδων ἀγωγῆς
'de liberis educandis'.

Quem a Plutarcho scriptum non esse Wyttenbachius argumentis tam firmis comprobavit[1], ut omnes, qui post eum de hac re egerunt, velut Weissenberger[2], Gerckius[3], Praechter[4], Christius-Schmidius[5], Hartmanus[6] ei adstipulati sint; unus Nachstaedtius[7] eum genuinum putat.

Illud autem iudicium etiam optativo in hoc libro usurpato confirmari potest.

Invenimus in summa 42 optativos, ita ut haec ratio inter numerum paginarum (31 Bern. = 22, 6 pag. Sint.) et optativorum conspiciatur:

num. pag. : num. opt. = 22 : 42 = 100 : 186,

quae ratio in nullo alio Plutarchi libro cognoscitur. Quod magni momenti non esse saepius dixi; accedunt autem alia argumenta quibus disputationem Plutarchi non esse demonstretur. Affero haec:

M.* 6 B formam *διώξαιεν* legimus, quae a Plutarcho prorsus aliena est, cum hic in tertia persona pluralis aoristi primi activi semper terminatione Aeolica *-ειαν* utatur (cf. p. 16. 45 sq.).

Sententiae enuntiativae omnes fere e particula *ὅτι* pendent, aliter atque apud Plutarchum, qui *ὡς* particulam paulo saepius quam *ὅτι* usurpat (cf. p. 84).

In enuntiatis finalibus scriptorem *ἵνα* particula una fere uti videmus, quae apud Plutarchum multo rarius quam *ὅπως* et *ὡς* legitur (cf. p. 107). Accedit quod *ἵνα* tempore praeterito antecedente apud hunc semper fere cum coniunctivo coniungi-

---

[1]) Wyttenbach animadv. I p. 29—156 (ed. Ox. 1810).
[2]) Weissenberger p. 41—44.
[3]) A. Gercke, Rh. Mus. 41 (1886) p. 471. — Burs. Jahresb. 124 (Suppl.-Bd. 1905) p. 493.
[4]) Praechter, „Hierokles d. Stoiker" (1901 Lpzg.) p. 83 adn. 1.
[5]) Christ-Schmid II 383/384.
[6]) Hartman, ad Plut. mor. annot. crit. Mnem. 40 (1912) p. 238.
[7]) Nachstaedt, de Plut. declamationibus quae sunt de Alexandri fortuna (1895 Berlin) p. 10 adn. 1.

tur, apud illum autem optativum totidem locis (M.* 3 D; M.* 4 F; M.* 11 B) quot coniunctivum (M.* 8 F; M.* 10 F; M.* 11 A) asciscit [1]).

In enuntiato condicionali bis (M.* 5 A; M.* 6 F) coniunctionem ἂν (= ἐὰν) cum optativo coniunctum invenimus, quae constructio etsi a Plutarcho prorsus aliena est, tamen apud scriptores κοινῆς dialecti saepius reperitur, velut apud Diodorum [2]), Vettium Valentem [3]), in papyris Aegyptiis [4]), quin etiam apud atticistas ut Aristidem [5]) et Lucianum [6]) et Philostratum sec. [7]), denique hic illic apud Syrianum [8]), Sextum Empiricum [9]), Procopium Caesareensem [10]). Itaque εἰ quod Bernardakis utroque loco post κἂν inseruit, rursus delendum videtur esse [11]); ne Hertlini quidem coniecturam accipiemus, qui M.* 5 A pro κἂν προτείνειε scribi vult κἂν προτείνῃ, etsi Hercher eum secutus est.

Denique in hoc libello particulam consecutivam ὥστε nunquam cum infinitivo, sed semper (M.* 4 F; M.* 12 C) cum indicativo coniungi animadvertendum est. Pro ὥστε c. inf. coniuncto particula ὡς quater (M.* 8 D; M.* 10 C; M.* 12 E; M.* 13 E) invenitur, quae etsi a Plutarcho in moralibus non plus 15 locis usurpata est, tamen apud scriptores posteros latius patere incipit (cf. p. 64), ita ut librum post Plutarchi aetatem scriptum esse ex hac re intellegi possit.

Si haec omnia complectimur, commentationem iure non genuinam haberi concedemus. —

---

1) Uno loco codices optativum post tempus primarium praebent:
M.* 4 C: . . παραπηγνύουσι . ., ἵν' ὀρθὰ . . βλαστάνοι . .
Hercher et Bernardakis coniunctivum posuerunt.

2) Kapff p. 41, 91.

3) Cf. p. 93, 3 — 99, 1 — 103, 7 — 178, 33 — 345, 24 Kroll.

4) Harsing p. 47.

5) Schmid, Att. II 59.

6) Du Mesnil p. 19/20. — Schmid, Att. I 244.

7) Schmid, Att. IV 90, 620/621. — Cum unum exemplum (in 'vit. Ap.' 156, 13) inveniatur, Jaekelius (p. 68 adn. 1) ἐὰν in εἰ mutandum esse censet.

8) Hammer, Berl. Phil. Woch. 1894 p. 292.

9) Dahl p. 32.

10) Hartmann p. 12 sq.

11) Weissenberger p. 35, 42.

Sequitur ut libellum contemplemur, qui inscribitur

παραμυθητικὸς πρὸς Ἀπολλώνιον
'consolatio ad Apollonium'.

Quem subditum esse iam Benseler[1]), Doehner[2]), Volkmannus[3]), Treuius[4]), Weissenberger[5]), Wilamowitzius[6]), Gerckius[7]), Hartmanus[8]) cognoverunt. Abhorret enim tantopere a ceteris Plutarchi scriptis, ut etiam Wyttenbachius quamquam genuinum habet, tamen 'adulescentis Plutarchi eum esse' censere coactus sit[9]); quem alii nostra quoque aetate viri docti secuti sunt, velut Dinsius[10]), Patzigius[11]), Bureschius[12]); denique nuper W. Nestle[13]) ad Wyttenbachii sententiam accessit.

Hanc falsam esse puto, cum praeter nonnullas inter huius libelli et Plutarcheam elocutionem iam pridem observatas discrepantias in optativi quoque usu quaedam statuendae sint, velut hae:

optativus in libello 30ies invenitur, ita ut inter numerum paginarum (50 Bern. = 36, 5 Sint.) et optativorum haec ratio conspiciatur:

num. pag. : num. opt. = 36, 5 : 30 = 100 : 82.

Unde saepissime aut certe saepius quam Plutarchi consuetudo fert, scriptorem 'consolationis' optativo uti apparet. Tamen

---

[1]) Benseler p. 430—432.
[2]) Doehner II p. 47.
[3]) Volkmann p. 129 sq.
— , de consolatione ad Apoll. Ps.-Plutarchea (1867 Jauer).
[4]) Treu, Burs. Jahr. 62 (1890) p. 9.
[5]) Weissenberger p. 44—50.
[6]) Wilamowitz, Herm. 33 (1898) p. 532 sq.
[7]) Gercke, Burs. Jahr. 124 (1905) p. 493.
[8]) Hartman, Mnem. 41 (1913) p. 66 sq.
[9]) Wyttenbach, animadv. I p. 695 sq. (ed. Ox.).
[10]) M. Dinse, „Beitr. z. Krit. d. Trostschr. Plut. an Apoll." (Festschr. z. 3. Säk.-Feier d. Berl. Gymn. z. gr. Kloster p. 145—162; 1874 Berl.).
[11]) Patzig, quaest. Plut. (1876 Berl.) p. 1.
[12]) Buresch, consolationum a Graecis Romanisque scriptarum hist. crit. (1886 Lpzg.) p. 39 sq.
[13]) Nestle, „Euripides, d. Dichter d. griech. Aufklärung" (1901 Stuttg.) p. 198.

oratio minime elegans, immo vero ieiuna et arida est. Neque enim ullam fere aliam constructionem nisi optativum potentialem invenimus (22[ies] inter 30 optativos); praecipue autem formulas *εἴποις ἂν* vel *ἂν φαίης* (M.* 110 B; M.* 119 E), *ἄν τις εἴποι* (M.* 103 B; M.* 111 D; M.* 112 B; M.* 116 B; M.* 117 A) sim. scriptor in deliciis habet, ita ut ubique eum e rhetorum disciplina profectum esse cognoscas.

Numerus optativorum activi 24, medii 4 est; hanc igitur rationem inter hos numeros statuere possumus:

opt. act. : opt. med. = 24 : 4 = 6 : 1,

quae multum differt ab ea quam apud Plutarchum intercedere (2, 59 : 1) vidimus.

Etiam in numero optativorum praesentis et aoristi pro portione constituto differentia quaedam inter scriptorem 'consolationis' et Plutarchum conspicitur; invenitur enim haec ratio

apud illum: opt. praes. : opt. aor. = 10 : 19 = 1 : 1, 9
apud Plutarchum 1 : 1, 38.

In sententiis enuntiativis e tempore praeterito pendentibus scriptorem nullam aliam nisi particulam *ὅτι* usurpare neglegendum non est (velut M.* 105 A; M.* 105 B; M.* 109 B e. q. s.), ita ut hac quoque in re cum Plutarcho discrepet, qui in his sententiis *ὡς* non modo non totidem locis quot *ὅτι*, sed etiam paulo saepius utitur. Praeterea autem *διότι* particula, quae M.* 117 E legitur, a sententiis enuntiativis apud Plutarchum plane aliena est (cf. p. 83).

Itaque ne optativi quidem usum cum Plutarcho congruere cognoscimus, qua re novum argumentum allatum esse puto, quo libellum subditum habendum esse demonstretur. —

Quod idem dici potest de 'apopthegmatis', quae in Plutarchi libros iniuria recepta esse iam pridem viri docti intellexerunt[1]).

Ac primum quidem

ἀποφθέγματα βασιλέων καὶ στρατηγῶν
'regum et imperatorum apopthegmata'

contemplemur et qualis optativi usus in iis sit inquiramus.

[1]) Weissenberger p. 56—63. — Christ-Schmid II p. 389. — Hartman, Mnem. 41 (1913) p. 95 sq.

Qui 24 locis per 98 paginas (Bern. = 71, 5 pag. Sint.) occurrit. Itaque ratio inter numerum

paginarum et optativorum

haec est: 71, 5 : 24 = 100 : 33, 5.

Formae optativi ab usu Plutarcheo non abhorrent; neque id mirum est, cum 'apopthegmata' maxima e parte e Plutarchi scriptis genuinis, praecipue e vitis, excerpta esse constet. Tamen scriptorem 'apopthegmatum' hic illic Plutarchi orationem mutavisse et contraxisse patet, et his ipsis locis quaedam cum Plutarchi consuetudine dicendi discrepantiae observari possunt, quarum hae afferantur:

Optativus praesentis 15ies, aoristi 9ies invenitur, ita ut ratio sit inter optativum

praesentis et aoristi

15 : 9 = 1 : 0, 6

(apud Plutarchum 1 : 1, 38).

Similis discrepantia in ratione, quae inter numerum optativorum activi et medii intercedit, conspicitur; est enim

in 'apopthegmatis' : opt. act. : opt. med.

= 13 : 10 = 1, 3 : 1,

apud Plutarchum 2, 59 : 1.

In sententiis enuntiativis optativum obliquum non amplius duobus locis invenimus; evitatus est post tempus praeteritum 76ies, ita ut plurimum inter huius libri scriptorem et Plutarchum intersit, apud quem ratio 1 : 3, 4 est. Accedit quod ab illo particula *ὅτι* saepissime usurpata est, cum 62ies inveniatur, *ὡς* autem particula, quam Plutarchus alteri paulo praefert, 15 tantum locis (13ies cum indicativo, bis cum optativo coniuncta) exstet. Praeterea *διότι* particulam semel (M.* 195 B) invenimus, qua Plutarchum in sententiis enuntiativis nunquam usum esse supra exposui.

Etiam finalium enuntiatorum e praeterito pendentium usus cum Plutarcho discrepat. Qui saepissime particula *ὅπως*, secundo loco *ὡς*, tertio *ἵνα* utitur; ille autem *ὡς* omnino non, *ἵνα* paulo rarius (8ies) quam *ὅπως* (11ies) usurpavit. Hoc quoque animadvertendum est optativum obliquum in his enuntiatis duobus tantum locis (M.* 185 F; M.* 198 F) reperiri, coniuncti-

vum autem 17ies, quae ratio ab ea, quam apud Plutarchum statuimus (1 : 1, 3) valde differt.

Deinde a Plutarchi consuetudine sermonis abhorret haec structura:

M.* 197 E: ἔφη τὴν ὥραν οὐκ ἐπαρκεῖν, ἵνα . . ἑαυτῶν ἐπιμεληθῶσι,

cum Plutarchus in eiusmodi enuntiatis non mere finalibus semper particula ὅπως, nunquam ἵνα utatur[1]). Cf. p. 176.

In enuntiatis iterativis temporalibus e praeterito pendentibus ὁπότε particula una in usu est; Plutarchum autem non modo hac, sed etiam saepius ὁσάκις et ὅτε particulis usum esse vidimus (cf. p. 122). Quin etiam iis locis, quibus Plutarchus ὁσάκις vel ὅτε usurpavit quosque auctor libelli paene verbum pro verbo reddit, ὁπότε particula pro illis substituta est, velut

M.* 174 D: ἔλεγεν, ὁπότε σχολάζοι . ., τῶν ἱπποκόμων οἴεσθαι μηδὲν διαφέρειν

= an seni resp. M. 792 C: ἔλεγεν μηδὲν οἴεσθαι τῶν ἱπποκόμων διαφέρειν ἑαυτόν, ὅτε σχολάζοι

et

M.* 186 C: Περικλῆς ὁπότε μέλλοι στρατηγεῖν, ἀναλαμβάνων τὴν χλαμύδα πρὸς ἑαυτὸν ἔλεγε

= quaest. conv. I M. 620 C: ὁσάκις . . ἀναλαμβάνοι τὴν χλαμύδα, . . εἰώθει διαλέγεσθαι πρὸς αὐτόν.

Itaque haec apopthegmata a Plutarcho ipso collecta non sunt[2]); sed paulo post illius aetatem congesta videntur esse, cum iam Aelianus nonnulla ex iis laudet[3]).

Etiam

ἀποφθέγματα Λακωνικά
'apopthegmata Laconica'

eodem tempore composita esse apparet, cum ne haec quidem Aeliano ignota sint[4]). Sed aeque atque illa iniuria in Plutarchi

---

[1]) Weissenberger p. 32.

[2]) Unus Sass („Plutarchs apopth. reg. et imp." 1881 Gymn.-Progr. Ploen) hoc scriptum genuinum habet; sed commentationem eius nullius esse pretii demonstravit Heinzius (Burs. Jahr. 26 [1881] p. 94).

[3]) C. Schmidt, de apopthegmatum quae sub Plut. nomine feruntur, collectionibus pars. I (1879 Gryph.) p. 68 sq.

[4]) C. Schmidt, de apopth. . . . collect. p. 73.

libros irrepserunt, id quod optativi quoque usu evincitur. Cuius rei nonnulla afferam argumenta:

Invenimus optativum 80ies per 81 paginas Bern. (= 59 pag. Sint.), ita ut ratio inter numerum

paginarum et optativorum

sit 59 : 80 = 100 : 135,

quam rationem multo maiorem esse patet ea, quae in ceteris Plutarchi libris — excepto 'convivio septem sapientium' — observatur.

Praeterea autem — hanc enim rationem non magni esse momenti iam saepius dixi — multae aliae res Plutarcho insolitae in hoc libro reperiuntur, velut haec:

optativi forma εἴησαν (M.* 231 B; M.* 235 B) apud Plutarchum nunquam invenitur, cum hic semper terminatione breviore utatur (cf. p. 37). Deinde mentione dignae sunt forma διαφυλάσσοι (M.* 224 D) — Plutarchus semper fere formas Atticas in -ττ- exeuntes usurpat (cf. p. 128 sq.) — et formae a verbo θέλειν flexae (M.* 211 E; M.* 216 D [bis]), cum a Plutarcho formam vetustiorem ἐθέλειν illi praelatam esse constet (cf. p. 26 sq.). Accedit quod uno loco (M.* 211 E), quem scriptor 'apopthegmatum' e vit. Ages. c. 16. (III 159, 22) excerpsit, Plutarchus forma ἐθελῆσαι, ille autem forma vulgari θελῆσαι usus est. Praeterea liceat mihi commemorare formam indicativi praesentis χρῆσαι (M.* 224 C) pro χρῇ a Plutarchi consuetudine loquendi prorsus alienam esse; quam terminationem sermonis vulgaris esse propriam his formis simillimis demonstratur:

ὀδυνᾶσαι Luc. 16, 25

καυχᾶσαι ep. ad Rom. 2, 17; 2, 23

χρᾶσαι Herm. vis. III 6, 7 (patr. apostol. III),

quas hellenisticas Moeris (p. 188, 3 Bekk.: ἀκροᾷ Ἀττικῶς . ἀκροᾶσαι Ἑλληνικῶς) et Phrynichus (p. 360 adn. Lob.) dicunt; iam in papyro quadam Aegyptiaca III. a. Chr. n. saeculi haec terminatio invenitur[1]), et in Graeca lingua nostrae aetatis etiam nunc in usu est[2]).

---

[1]) Mayser p. 328.

[2]) Buttmann § 87 adn. 8. — Hatzidakis p. 188. — Winer-Schmiedel[8] §§ 13, 17. — Jannaris p. 197/198. — Reinhold p. 84. — Moulton, Class. Rev. XV (1901) p. 36. — Crönert p. 210.

Denique silentio praetereundum non est a scriptore huius libelli in plusquamperfecto augmentum semper omissum esse (M.* 224 A; M.* 225 E [corr. Bern.]; M.* 226 F; M.* 233 E; M.* 234 A; M.* 234 D), quae consuetudo sermonis etsi ne Plutarcho quidem insolita est, tamen in moralibus rarissime (quater) invenitur, saepius (23^{ies}) in vitis [1]).

Etiam in temporibus optativi usurpatis magna inter Plutarchum et illum discrepantia statuenda est, cum in 'apopthegmatis' optativum praesentis 51^{ies}, aoristi 27^{ies} inveniamus, ita ut ratio inter numerum optativorum

	praesentis et aoristi	
in his sit	51 : 27	= 1 : 0, 53
(apud Plutarchum		1 : 1, 38).

Contra in optativi generum verbi usu ille Plutarcho appropinquat, cum ratio inter numerum optativorum activi et medii

apud illum sit 52 : 24 = 2, 16 : 1
apud Plutarchum 2, 59 : 1.

Atque haec quidem de optativi formis; videamus nunc, quae in singulis optativi generibus a Plutarcho abhorreant.

Ac primum quidem — ut summas attingam res — optativi potentialis usus in interrogationibus indirectis mentione dignus est. Quem in hoc libro 9 locis invenimus, quorum 8 optativum praesentis (M.* 208 B; M.* 213 C; M.* 216 C; M.* 216 E; M.* 217 D; M.* 221 D; M.* 224 D; M.* 224 F), unus optativum aoristi (M.* 230 F) exhibet. Plutarchus autem in his enuntiatis optativo praesentis ter, aoristi autem 18^{ies} usus est (cf. p. 76). Ex quo Plutarchi usum contrarium esse ei intellegimus, qui apud illum conspicitur.

Deinde in sententiis enuntiativis e praeterito pendentibus optativi usus alius atque apud Plutarchum est; invenimus enim in his enuntiatis optativum obliquum 7^{ies} (M.* 209 D; M.* 213 E (bis); M.* 225 E; M.* 229 E; M.* 230 A; M.* 231 B), indicativum autem 57^{ies} (= 1 : 8, 1). Apud Plutarchum ratio inter

[1]) Weissenberger p. 21. — Bernardakis, praef. vol. I p. 63. — Witkowski, Burs. Jahr. 159 (1912) p. 189.

optativum obliquum usurpatum et evitatum 1 : 3, 4 est (cf. p. 82).

Accedit quod particularum usus in his enuntiatis Plutarcheo contrarius est. Saepissime enim in 'apopthegmatis' particula ὅτι posita est (46ies: quater cum optativo obliquo, 42ies cum indicativo coniuncta), ὡς autem multo rarius (13ies) legitur et duobus tantum locis optativum asciscit, qui 11ies praeterito antecedente evitatus est. Contra Plutarchum particulam ὡς alteri paulo praeferre et ita usurpare vidimus (cf. p. 84), ut ex hac optativus obliquus multo saepius pendeat quam ex ὅτι. Praeterea particula διότι in hoc quoque libro invenitur (5ies, semel cum optativo obliquo, quater cum indicativo coniuncta), quam Plutarchum in sententiis enuntiativis prorsus aspernatum esse iam saepius (cf. p. 165) dixi.

Denique in enuntiatis finalibus e praeterito pendentibus sunt nonnulla, quae a Plutarchi genere scribendi differant. In his enim optativus obliquus 5ies (M.* 222 D; M.* 224 B; M.* 226 C; M.* 227 C; M.* 228 D[1]) positus est, coniunctivus autem 14ies, ita ut ratio inter hos numeros (1 : 2, 8) aliquanto maior sit quam ea, quae apud Plutarchum conspicitur (1 : 1, 3). Praeterea scriptorem illum particula ἵνα totidem fere locis (octo) quot ὅπως videmus uti; ὡς autem particula, qua Plutarchum aliquanto saepius quam ἵνα usum esse constat (cf. p. 166), ab illo non plus duobus locis usurpata est.

Itaque ne in hoc quidem libro optativi usum cum Plutarcho congruere apparet. Simul autem inter haec et 'regum et imperatorum apopthegmata' tantas differentias esse cognoscimus, ut fieri non possit ut ab eodem scriptore prodierint, id quod iam Weissenberger recte intellexit[2]).

Etiam 'instituta Laconica' et 'Lacaenarum apopthegmata' sine dubio subdita sunt[3]), praesertim cum sermo eorum simil-

---

[1]) E. Kurtz [„Miscellen z. Plut. apopth. . . (1888 Leipz.) p. 34] optativum in coniunctivum corrigit.

[2]) Weissenberger p. 62/63.

[3]) Weissenberger p. 63. — L. Weber, quaestionum Laconic. capita duo (1887 Gott.) p. 1—27. — Schunk, de Ps.-Plutarchi institutis Lacon. pars prior (1888 Marburg). — I. I. Hartman, Mnem. 41 (1913) p. 104 sq.

limo modo atque 'apopthegmatum Laconicorum' a Plutarcho abhorreat, velut in optativi temporibus et generibus verbi, in sententiis enuntiativis et finalibus usurpatis. Unde et haec et illa ab eodem magistro e Plutarchi libris excerpta esse patet[1]. Itaque hanc rem copiosius persequi omitto; unus tantum locus dignus videtur qui tractetur:

instit. Lac. M.* 239 D: *οἱ παῖδες . . ξαινόμενοι μάστιξι . . μέχρι θανάτου πολλάκις διακαρτεροῦσιν . . ἁμιλλώμενοι περὶ νίκης πρὸς ἀλλήλους, ὅστις αὐτῶν . . μᾶλλον καρτερήσειε τυπτόμενος.*

Optativus obliquus hoc loco e tempore primario pendet, quae constructio etsi a Plutarcho plane aliena est, tamen apud scriptores Graecos hic illic invenitur. Ut exemplum afferam,

legis apud Lucian. Anach. 27: *ἐκεῖνο τοίνυν ἄνω τε ἀναρριπτοῦσιν . . φιλοτιμούμενοι, ὅστις ἐπὶ μήκιστον ἐξέλθοι καὶ τοὺς ἄλλους ὑπερβάλοιτο.*

Sequitur ut

συναγωγὴν ἱστοριῶν παραλλήλων
'parallela minora'

quae vocantur commemorem, quem libellum non genuinum esse Hercher[2] et Weissenberger[3] argumentis tam firmis comprobaverunt, ut uberius de hac re dicere operae pretium non sit[4], praesertim cum optativum in hoc libello per 29 paginas uno tantum loco (M.* 315 F) in interrogatione indirecta e praeterito pendente inveniamus. Hoc unum mentione dignum videtur a scriptore opusculi in enuntiatis finalibus particulam *ὡς ἂν* ceteris praelatam esse; legitur enim tribus locis (M.* 311 D; M.* 315 C; M.* 315 D), *ἵνα* semel (M.* 315 D).

---

[1] L. Weber, l. l. p. 26.
[2] Hercher, Plutarchi libellus de fluviis (1851 Lpzg.) p. 5 sq.
[3] Weissenberger p. 64/65.
[4] V. Hartman, Mnem. 41 (1913) p. 217.

Paulo copiosius dicam de disputatione quae inscribitur

περὶ εἱμαρμένης

'de fato'.

Quam subditam esse viri docti, velut Patzigius[1]), Schmertoschius[2]), Gerckius[3]), Weissenberger[4]), Christius[5]), cognoverunt. Quod optativi quoque usu evincitur, quem in hoc libello tam brevi (17 pag. Bern. = 12,4 pag. Sint. amplectitur) non minus 32[ies] invenimus, ita ut haec ratio sit inter numerum paginarum et optativorum

12,4 : 32 = 100 : 258,

quae comparata cum ea, quam in ceteris Plutarchi scriptis cognovimus, prorsus insolita est.

Deinde in generibus verbi usurpandis scriptor huius libelli magnopere a Plutarcho recedit, cum apud hunc inter numerum optativorum activi et medii ratio 2,59 : 1, apud illum autem 21 : 1 statuenda sit. Etiam in optativi passivi usu differentiam quandam observamus, cum hic in scriptis moralibus genuinis non plus 70 locis, in hoc autem libello per 17 paginas 10 locis reperiatur.

Atque hoc quoque animadvertendum est scriptorem nullo alio nisi potentiali optativo usum esse; ne unus quidem optativus obliquus in libro invenitur[6]).

Denique locutio *ἂν μάθοις*, quae M.* 569 A et M.* 570 F invenitur, a Plutarcho plane aliena est, cum in hac locutione semper verbo composito *καταμανθάνειν* utatur, velut

ad. ab-am. intern. M. 65 A: *ἄν τις καταμάθοι*

bruta rat. uti M. 987 F: *ἂν . . καταμάθοις*

Ant. 1 (IV 346, 11); praec. reip. ger. M. 818 A.

---

1) Patzig, quaest. Plut. p. 1—3.

2) R. Schmertosch, de Plut. sententiarum, quae ad divinationem spectant, origine; accedit epimetrum de Plut. qui fertur *περὶ εἱμαρμένης* libello 1889 Lips.

3) Gercke, Rh. Mus. 41 (1886) p. 269.

4) Weissenberger p. 68—70.

5) Christ-Schmid II 391.

6) M.* 574 F: . . *ἐμνήσθημεν, ἵνα τὰ . . τῆς εἱμαρμένης κεφάλαια δηλωθείη*

verba *κεφάλαια δηλωθείη* a Wyttenbachio suppleta sunt.

Etiam

ἐρωτικαὶ διηγήσεις
'amatoriae narrationes'

quin a Plutarcho non sint confectae, dubitari nequit [1]), id quod iam Wyttenbachius [2]), Benseler [3]), Volkmannus [4]) cognoverunt. In optativi quoque usu, etsi libellus paucas (10) paginas amplectitur, nonnulla observanda sunt quae cum Plutarcho discrepent, velut haec:

optativus in his narrationibus 11 ies reperitur. Statuimus igitur hanc rationem inter numerum

paginarum [5]) et optativorum
7, 8 : 11 = 100 : 141,

quae multo maior est quam in omnibus aliis Plutarchi libris excepto 'convivio'.

Contra in temporum et generum verbi usu scriptor huius opusculi cum Plutarcho congruit, etsi neglegendum non est librum breviorem esse quam ut hanc rem accuratius investigare possimus.

In sententiis enuntiativis e tempore praeterito pendentibus optativum obliquum quater, indicativum autem ter reperimus. Praefert igitur scriptor in his enuntiatis optativum, qua in re a Plutarcho valde abhorret, cum apud hunc ratio inter optativum obliquum in sententiis enuntiativis usurpatum et evitatum 1 : 3, 4 sit. Praeterea apud Plutarchum ex ὅτι particula optativus multo rarius quam indicativus pendet; illum autem scriptorem post ὅτι optativum ponere maluisse apparet, cum hic modus duobus locis (M.* 773 E et M.* 775 B), indicativus uno tantum loco (M.* 774 A) post ὅτι inveniatur.

In enuntiatis finalibus a scriptore illo una particula ἵνα usurpata est. Asciscit autem praeterito tempore praecedente semel (M.* 772 D) optativum obliquum, semel (M.* 775 C) coniunctivum, ita ut in hac quoque re differentia quaedam inter

[1]) Weissenberger p. 77—79. — Christ-Schmid II p. 391.
[2]) Wyttenbach, mor. tom. IV p. 95 (ed. Ox. 1797).
[3]) Benseler p. 506/507.
[4]) Volkmann p. 126 sq.
[5]) 10 pag. Bern. = 7, 8 pag. Sint.

illum et Plutarchum, qui post ἵνα optativum rarissime ponit, statuenda sit, etsi numerus exemplorum minor est quam ut argumenta firma ex eis sumi possint.

Denique mentione dignum est scriptorem in enuntiato temporali particulam ἕως ἂν cum optativo coniunxisse:

M.* 773 B: ὁ θεὸς ἀνεῖλε μῆνιν εἶναι Ποσειδῶνος οὐκ ἀνήσοντος, ἕως ἂν τὸν Ἀκταίωνος θάνατον μετέλθοιεν.

Quam constructionem a genuinis Plutarchi libris prorsus alienam esse supra (cf. p. 95) exposui[1]).

Itaque multum, quod ad optativi usum attinet, interesse inter scriptorem 'narrationum' et Plutarchum intellegi potest. Quam ob rem hunc quoque librum iniuria in scriptis Plutarcheis haberi mihi persuasum est.

Idem valet de disputatione per se magni aestimanda quae inscribitur

βίοι τῶν δέκα ῥητόρων
'decem oratorum vitae'

quam 'non esse Plutarchi ita manifesto arguunt cum ratio tum oratio, ut dudum iam constet de hac re inter doctos homines'[2]). Itaque satis habeo argumentis, quae attulerunt Schaefer[3]), Prassius[4]), Weissenberger[5]), nonnulla ab optativi usu petita addere.

Iam in formis optativi duae inveniuntur, quae a Plutarchi consuetudine dicendi prorsus abhorreant:

M.* 846 E: ἐκδοίησαν
M.* 847 C: δοίησαν.

Semper enim Plutarchus in hac persona formis exitu breviore -οῖεν instructis utitur (cf. p. 37).

Deinde in optativi temporibus et generibus verbi usur-

[1]) Weissenberger p. 78.
[2]) Wyttenbach, mor. tom. IV p. 339 (Ox. 1797).
[3]) Schaefer, de libro vitarum X orat. Dresden 1844.
[4]) Prasse, de Plutarchi quae feruntur vitis X orat. 1891 Marburg.
[5]) Weissenberger p. 72/73.

pandis scriptorem 'vitarum X oratorum' a Plutarcho videmus differre, cum ratio inter optativos

	praesentis et aoristi sit		
apud illum	18 : 8	=	1 : 0, 44
apud Plutarchum			1 : 1, 38,

et ratio inter optativos

	activi et medii		
apud illum	18 : 5	=	3, 6 : 1
apud hunc			2, 59 : 1.

Etiam si optativi in hoc libro syntaxin contemplamur, complures inter illum et Plutarchum discrepantiae observari possunt, praecipue in optativi obliqui usu. Invenimus enim, ut exempla nonnulla afferam, in sententiis enuntiativis tempore praeterito antecedente optativum 5ies (M.* 838 E; M.* 842 E; M.* 845 A; M.* 848 B; M.* 848 C), indicativum totidem locis (M* 833 B; M.* 833 C; M.* 838 A; M.* 838 E; M.* 842 C); apud Plutarchum autem ratio inter optativum obliquum usurpatum et evitatum in his enuntiatis 1 : 3, 4 est. Accedit quod particularum quoque usus cum Plutarcho minime congruit. Praefert enim ille particulam ὅτι, quam 6ies reperimus (quater c. ind., bis c. opt. coniunctam); ὡς autem, quo Plutarchus saepius quam ὅτι utitur, quattuor tantum locis positum est (semel c. ind., ter c. opt. coniunctum). Praeterea διότι particula in hoc libro usurpata est (M.* 852 D), qua Plutarchum nisi in enuntiatis causalibus usum non esse constat.

In finalium quoque particularum usu differentia quaedam conspicitur, cum scriptorem illum particulam ἵνα maluisse quam ceteras in aperto sit. Haec enim 7ies (ter — M.* 844 D; M.* 844 E; M.* 844 F — c. opt., quater — M. 844 B; M.* 844 E (bis); M.* 844 F — c. coni. coniuncta), ὅπως autem tribus tantum locis (semel — M.* 842 C — c. opt., bis — M.* 842 A; M.* 847 F — c. coni. coniunctum) legitur, quae ratio plane contraria est ei, quam apud Plutarchum invenimus (cf. p. 107 sq.).

Atque etiam hoc animadvertendum est uno loco

M.* 844 B: ἐδεήθη τοῦ παιδαγωγοῦ, ἵνα Καλλιστράτου . . . ἀκούσῃ

sententiam non mere finalem quae vocatur ex ἵνα pendere, qua constructione ut Plutarchus utatur tantum abest ut in his enuntiatis semper particulam ὅπως ponat[1]). Cf. p. 167.

Denique consecutivorum structura enuntiatorum cum usu Plutarcheo minime congruit. Invenimus enim ὥστε particulam 5[ies] cum infinitivo, semel (M.* 841 E) cum indicativo coniunctam, praeterea autem particulam ὡς 9[ies], cuius usum a Plutarcho magnopere coërcitum esse — in moralibus non plus 15[ies] usurpata est —, apud posteros autem scriptores latius patere supra (p. 163) commemoravi. Unde efficitur ut hic liber post Plutarchi aetatem scriptus sit.

Itaque ut eorum quae dixi summam faciam, optativi quoque usus librum ad Plutarchum non referendum esse nos docet[2]).

Progrediamur nunc ad disputationem quae inscribitur

περὶ τῶν ἀρεσκόντων τοῖς φιλοσόφοις
'de placitis philosophorum'.

Quam etsi non levis momenti ad praecepta philosophorum Graecorum cognoscenda est, tamen a Plutarcho compositam non esse omnes viri docti consentiunt[3]), id quod non solum dispositione et tractatione rerum — quas scriptorem e maiore opere excerpsisse apparet —, sed etiam eo comprobatur, quod sermo libelli omni ex parte a Plutarcho abhorret. Itaque etiam in optativi usu nonnullae differentiae observantur. Affero has:

optativi in hoc libro 9 sunt per 109 paginas Bern. (= 79, 6 pag. Sint.); conspicimus igitur hanc rationem inter numerum

paginarum et optativorum
78, 6 : 9 = 100 : 12, 5;

quam cum Plutarcho comparatam multo esse minorem in promptu est.

---

[1]) Weissenberger p. 32, 73.

[2]) Idem censent Gerckius, Burs. Jahr. 124 (1905) p. 493. — Christius-Schmidius II p. 391.

[3]) Volkmann p. 154 sq. — Diels, doxogr. Graeci (1879 Berl.) p. 64 sq. — Weissenberger p. 79—81. — Gercke, Burs. Jahr. 124 p. 493. — Christ-Schmid II p. 391.

Quod ad generum verbi usum attinet, optativus activi 8ies, medii omnino non reperitur.

Tempora quoque optativi aliter atque a Plutarcho usurpata sunt, cum ratio inter optativos

	praesentis et aoristi	
apud hunc		1 : 1, 38
apud illum	3 : 6	= 1 : 2

sit.

De constructionibus optativi pauca dicenda sunt, cum scriptorem libri hoc modo rarissime usum esse supra expositum sit. Praeterea nullum alium nisi optativum potentialem cum ἄν coniunctum (M.* 877 C; M.* 881 B; M.* 896 D; M.* 902 E) et in protasi structurae condicionalis ex εἰ pendentem (M.* 896 D; M.* 905 E[1]); M.* 905 F; M.* 907 B) invenimus.

Hoc unum mentione dignum est duobus locis particulam εἰ cum coniunctivo coniunctam esse:

M.* 894 E: *εἰ γάρ τις . . λάβῃ ὕδωρ καὶ πτύσῃ, αἱ δὲ ῥανίδες ἀνάκλασιν . . λάβωσιν, εὑρήσει*

M.* 905 E: (*Ἀναξαγόρας Παρμενίδης* sc. *φασὶ*) . . *εἰ δ' ἐναλλαγῇ τὰ τῆς καταβολῆς, γίνεσθαι θήλεα.*

Nec mutanda esse haec constructio videtur, etsi Dielsius[2]) et Bernardakis[3]) altero loco (M.* 905 E) ἐναλλαγῇ, quod Paris. 1672 praebet, facili mutatione in ἐναλλαγείη correxerunt. Saepius enim haec consuetudo sermonis apud scriptores κοινῆς dialecti invenitur, velut apud Diodorum[4]), in Novo Testamento[5]), in papyris Aegyptiis[6]), postea apud Epictetum[7]) et Vettium Valentem[8]). Neque carent ea atticistae eorumque assectatores

[1]) Malim coniunctivum, ut statim apparebit.

[2]) Diels, doxogr. Gr. p. 420.

[3]) Bernardakis, symbolae crit. et palaeogr. in Plut. vit. par. et mor. (1879 Lips.) p. 129.

[4]) Kapff p. 95.

[5]) Winer[7] p. 276/277. — Reinhold p. 107.

[6]) Harsing p. 48.

[7]) Melcher (p. 91) iniuria omnes 6 locos huc pertinentes corrigit.

[8]) p. 37, 23—48, 35 — 123, 5 e. q. s. (Kroll).

velut Philostratus secundus[1]), Lucianus[2]), Theo, Ps.-Demetrius, (περὶ ἑρμηνείας), Sextus Empiricus[3]), Procopius[4]).

Accedit quod etiam aliis huius libri locis confusionem quandam coniunctivi et optativi observare possumus, velut

M.* 898 B: ὅταν γὰρ ἡμῖν εἴη[5]) θέρος . ., τότε . . χειμών ἐστιν

M.* 906 C: ὅταν γὰρ ἡ μήτρα εἴη κεκαθαρμένη, τότε ἐπισύλληψιν δέχεται

quorum neutrum locorum corrigendum esse contra Graecum editorem dixerim, cum hic quoque usus, etsi a Plutarcho semper evitatus est[6]), tamen sermonis vulgaris proprius sit et apud atticistas quoque compareat (cf. p. 123).

Atque haec quidem de structuris condicionalibus. Restat ut in enuntiatis finalibus scriptorem huius libri una particula ἵνα usum esse (M.* 874 D; M.* 875 F; M.* 887 F; M.* 907 D) commemorem.

Itaque quantopere optativi usus in hac commentatione a Plutarcho abhorreat, spectanti dubium non esse puto quin subdita sit.

Dielsius[7]) circa medium alterum saeculum p. Chr. n. libellum compilatum esse iudicat, cum ne ultra annum 177 descendamus, obstet Athenagoras, cuius in 'supplicatione pro Christianis' M. Aurelio et L. Commodo hoc anno nuncupata vestigia quaedam 'placitorum' appareant.

Et verisimillimum est illis ipsis temporibus, quibus Plutarchus ab omnibus laudabatur atque etiam atticistis probabatur[8]), libros quosdam a falsariis subditos esse[9]).

---

1) Schmid, Att. IV 85.
2) Du Mesnil p. 23/24. — Schmid, Att. I 244.
3) Dahl p. 32/33.
4) Hartmann p. 12.
5) Haec est lectio codicum meliorum, Mosquensis 352 et Marciani 521; contra Paris. 1672 coniunctivum ᾖ praebet.
6) Weissenberger p. 33/34.
7) Diels, doxogr. Gr. p. 65/66.
8) Cf. Phryn. p. 344 Ruth.
9) Hirzel, „Plut." p. 75.

Contra de libelli qui est

περὶ μουσικῆς
'de musica'

authentia summa est virorum doctorum dissensio, cum alii velut Westphalius[1]), Weilius-Reinachius[2]), Christius[3]) genuinum habeant, alii autem velut Volkmannus[4]), Dielsius[5]), Amselius[6]), Hirzelius[7]), Weissenberger[8]), Gerckius[9]) negent.

Inquiramus igitur, utrum iudicium optativi in hoc libro usu affirmetur:

Optativus 29[ies] per 43 paginas (Bern. = 31, 4 pag. Sint.) usurpatus est; ratio igitur inter numerum

paginarum et optativorum
est 31, 4 : 29 = 100 : 92, 3,

quae aliquanto maior est ea quam apud Plutarchum in universum observavimus.

Quod ad genera verbi usurpata attinet, ratio inter optativos

	activi et medii	
in hoc libello	22 : 6	= 3, 66 : 1
apud Plutarchum		2, 59 : 1

est. Contra in temporum usu differentia haud ita magna est; conspicitur enim haec ratio inter numerum optativorum

	praesentis et aoristi	
in hoc opusculo	14 : 14	= 1 : 1
apud Plutarchum		1 : 1, 38.

Transeamus nunc ad syntaxim inspiciendam.

---

1) Westphal, „Plut. über d. Musik" (1865 Breslau) app. p. 26 sq.
2) Weil-Reinach, in edit. lib. p. 220.
3) Christ-Schmid II p. 376.
4) Volkmann p. 170 sq.
5) Diels, doxogr. Gr. p. 65.
6) Amsel, de vi atque indole rhythmorum quid veteres iudicaverint (1887 Vratisl.) p. 152.
7) Hirzel, Dial. II p. 236 sq.; „Plut." p. 80.
8) Weissenberger p. 82—86.
9) Gercke, Burs. Jahr. 124 p. 493.

Saepissime scriptor libelli optativum potentialem usurpavit; reperitur enim 20ies [1]), praeterea 8ies optativus in protasi structurae condicionalis ex εἰ pendente. Hoc quoque animadvertendum est locutionem μάθοις ἂν (M.* 1133 F) apud Plutarchum nunquam inveniri, cum hic semper optativum verbi compositi καταμανθάνειν praebeat (cf. p. 172).

Locus non satis perspicuus est

M.* 1144 E: ὑποκρίνειε γὰρ ἄν τις ἀκούων αὐλητοῦ, πότερόν ποτε συμφωνοῦσιν οἱ αὐλοὶ ἢ οὔ,

cum activum verbi ὑποκρίνεσθαι inusitatissimum sit, quam ob rem Bernardakis ἀπορήσειε γὰρ ἄν τις scribi vult, Herwerdenus ἐπικρίνειε (= diiudicet) pro ὑποκρίνειε corrigit [2]), Weilius-Reinachius autem complura verba excidisse putantes scribunt [3]):

ὡσαύτως γὰρ καὶ αὕτη (sc. ἡ ποίησις) ὑπό⟨κειται, οὐ μόνον⟩ κρίνειε γὰρ ἄν τις

quae coniectura haud scio an prope ad veram lectionem accedat, quamquam γὰρ quarto loco positum offendit.

Optativus obliquus semel tantum (M.* 1133 A) invenitur et e particula ὅτι pendet; nulla enim alia particula scriptor libelli in sententiis enuntiativis usus est nisi hac. Qua in re cum Plutarcho minime eum congruere concedendum est, quippe qui ὡς etiam saepius quam ὅτι usurpaverit.

Denique mentione dignum est 5ies (M.* 1132 B; M.* 1137 B; M.* 1139 E; M.* 1141 D; M.* 1142 C) in hoc tam brevi libro enuntiatum consecutivum ex ὡς cum infinitivo coniuncto pendere, quam constructionem apud Plutarchum ipsum raro, apud posteros autem scriptores saepius inveniri supra (p. 64 et 163) dictum est. Ex quo hunc librum a scriptore posteriore compositum vel potius compilatum esse intellegi debet.

---

[1]) Uno loco

M.* 1146 A: καθόλου ὅ γε νοῦν ἔχων οὐ τῶν ἐπιστημῶν ἐγκληματείη, εἴ τις . . μὴ . . χρῷτο, ἀλλὰ νομίσειεν

potentialis particula ἂν caret, neque Bernardakis neque Weilius-Reinachius addunt. Fortasse post τῶν ἐπιστημῶν inserenda est, quo loco facillime poterat excidere.

[2]) H. van Herwerden, Mnem. 37 (1909) p. 218.

[3]) in edit. (1900 Paris.) p. 138.

Itaque ut dicam quod sentio, mihi non dubium videtur esse quin ne hic quidem libellus a Plutarcho compositus sit. —

Idem cadit in librum qui inscribitur

περὶ τοῦ βίου καὶ τῆς ποιήσεως Ὁμήρου
'de vita et poësi Homeri'.

Qui duas continet commentationes, quarum neutram Plutarchi esse iam pridem viri docti cognoverunt [1]). Accedit quod ne ab eodem quidem scriptore compositae sunt, potissimum propterea quod discrepantiae haud exiguae inter prioris et alterius partis sermonem observantur [2]). Quam ob rem optativi quoque in utraque parte usum separatim tractare malo.

Quarum prior etsi non plus 7 paginas Bern. amplectitur, tamen optativum quater exhibet: semel optativum potentialem cum ἄν coniunctum, ter optativum obliquum e praeterito pendentem. Ex his autem exemplis tam paucis etsi non certo colligi posse, utrum Plutarchi sit hoc commentariolum necne apparet, tamen inveniuntur nonnullae res mentione dignae, quibus interesse aliquid inter huius libelli scriptorem et Plutarchum confirmetur, velut hae:

optativus praesentis ter (p. 331, 9; p. 332, 4; p. 332, 11 Bern.), aoristi semel (p. 329, 3) usurpatus est; apud Plutarchum ratio contraria (opt. praes.: opt. aor. = 1 : 1, 38) conspicitur.

Deinde optativus medii nusquam invenitur; apud Plutarchum inter optativum

activi et medii

haec ratio est 2, 59 : 1.

---

[1]) Benseler p. 537—538. — Volkmann p. 120 sq. — Weissenberger p. 92—94. — Bernardakis mor. tom. VII praef. IX sq. — H. Schrader, de Plutarchi Chaer. Ὁμηρικαῖς μελέταις et de eiusdem quae fertur vita Homeri (1899 Gotha). Qui alterum quoque librum in complures partes esse distinguendum censet; quarum mediam (c. 112—160) e genuino Plutarchi libro Ὁμηρικαὶ μελέται inscripto haustam esse. Cf. Pohlenz, Berl. Phil. Wochenschrift 1900 p. 518—520.

[2]) B. Baedorf, de Plutarchi quae fertur vita Homeri (1891 Monast.) p. 1. — Weissenberger p. 92 sq. — Bernardakis vol. VII praef. IX.

Uno loco (p. 329, 6) enuntiatum consecutivum invenimus, quod ex ὡς cum infinitivo coniuncto pendet; qua particula Plutarchum cum in vitis tum in moralibus raro usum esse constat (cf. p. 180).

Denique una particula finalis ἵνα usurpata est, quam a Plutarcho particulis ὅπως et ὡς magnopere postpositam esse supra (p. 107) exposui.

Neque altera libri pars genuina est, id quod et ex aliis argumentis et ex optativi usu perspicuum est, qui multis in rebus a Plutarcho discrepat.

Quod ut nonnullis documentis comprobem, optativi in hoc libro usus paulo copiosius explicandus erit.

Exstant in summa 32 optativi, quorum 11 praesentis, 21 aoristi sunt, ita ut hanc rationem conspiciamus inter

optativos praesentis et aoristi
11 : 21 = 1 : 1, 9
(apud Plutarchum 1 : 1, 38).

Optativi medii usus valde circumcisus est; reperitur non plus quater, optativus activi 26[ies]. Haec igitur ratio statuenda est inter numerum optativorum

activi et medii
26 : 4 = 6, 5 : 1
(apud Plutarchum 2, 59 : 1).

Etiam in syntaxi differentiae quaedam observantur; affero has:

inter 32 optativos 21 potentiales cum ἂν coniuncti[1]) reperiuntur, praeterea 10 locis optativus in protasi structurae condicionalis positus est; uno loco (p. 455, 14) obliquus invenitur.

Unde patet, quantopere discrepet a Plutarcho huius libri scriptor, qui optativi usum tam angustis finibus terminisque circumscripsit, ut praeter optativum potentialem et in structuris condicionalibus usurpatum omnia alia huius modi genera prorsus fere neglecta sint.

---

[1]) Nonnullis locis (p. 344, 21; p. 372, 16; p. 448, 25) particula ἂν quae in codicibus excidit inserenda est.

In sententiis enuntiativis e praeterito pendentibus optativus obliquus nunquam reperitur; evitatus autem est 17[ies]. Contra apud Plutarchum ratio inter optativum obliquum usurpatum et evitatum 1 : 3, 4 est. Particula, qua ille una fere utitur, ὅτι est; ὡς, quod apud Plutarchum paulo saepius quam ὅτι invenitur, rarissime (ter) positum est; praeterea uno loco (p. 435, 2) διότι, quod Plutarchum in his enuntiatis aspernatum esse constat.

Etiam in quaestionibus indirectis post tempus praeteritum optativus obliquus, qua Plutarchus satis saepe (opt. ind. : obl. = 1 : 2, 7) utitur, apud illum prorsus deest.

Unus optativus obliquus in enuntiatis finalibus est (p. 455, 14) ex ὡς pendens; contra quinquies in his sententiis praeterito antecedente coniunctivus positus est, ita ut hanc statuamus rationem:

opt. obl. : coni. = 1 : 5
(apud Plutarchum 1 : 1, 3).

Accedit quod ille ne in particularum quidem usu cum Plutarcho congruit, cum saepissime particula ἵνα (12[ies]), particulis autem ὅπως et ὡς multo rarius (ter et semel) utatur.

Denique in constructionibus consecutivis particularum usus dignus est qui commemoretur, cum ὥστε quattuor locis, ὡς autem, cuius usus apud Plutarchum rarissimus est, tribus locis posita sit.

Itaque Dielsii de tempore, quo hic liber scriptus sit[1]), iudicium confirmatur, cum usus particulae ὡς in enuntiatis consecutivis nisi post Plutarchi aetatem latius patere non coeperit (cf. p. 64. 163. 180 sq.).

Restat ut duas res illius scriptoris proprias, a Plutarcho autem alienas afferam: usum formarum in -σσ- exeuntium, quas ille semper fere, Plutarchus autem rarissime adhibet (cf. p. 28 sq.), et formarum recentiorum γίνεσθαι et γινώσκειν, quas apud hunc multo minus quam classicas in usu esse constat (cf. p. 27).

Itaque quin hic quoque liber iniuria Plutarchi Chaeronensis nomini addictus sit, non est cur dubitemus. —

---

[1]) Diels, doxogr. Gr. p. 99.

Sed haec hactenus. Ut quae hac disputationis parte effecisse mihi videor, paucis comprehendam, statuendum est ea quae ex optativi in singulis libellis usu concluduntur, fere congruere cum iis quae alii de his libellis iudicaverunt. Itaque in scriptis genuinis habendi sunt libelli: 'convivium septem sapientium', 'de Herodoti malignitate', 'de communibus notitiis', etiam qui 'de vitando aere alieno' et 'aetia physica' inscribuntur, mea quidem sententia iure Plutarcho tribuuntur. Minus certum est quod de libro quo 'de amore prolis' agitur iudicavimus. Idem cadit in 'comparationem Aristophanis et Menandri' et in quaestionem 'aquane an ignis sit utilior'. Tamen hos quoque libellos esse Plutarcheos crediderim. Aliter res se habet in disputatione 'de liberis educandis' scripta et in 'consolatione ad Apollonium'. Ne 'apopthegmata' quidem et 'parallela minora' quin a falsariis sint composita dubium est. Deinde liber qui 'de fato' inscribitur, 'vitae X oratorum', 'placita philosophorum' iure subdita existimantur. Postremo etiam commentationes 'de musica' et 'de vita ac poësi Homeri' scriptae a Plutarcho abiudicandae sunt.

Vita.

Natus sum *Alfredus Hein* in vico Silesiae, cui nomen est *Peterswaldau*, a. d. VII. kal. Iul. anno 1886 patre Dionysio, quem abhinc viginti duos annos mortuum maereo, matre *Elisa* de gente *Preiss*. Fidem confiteor evangelicam. Puerulus triviali disciplina imbutus gymnasium frequentavi primum Waldenburgense, deinde Liegnicense, quod tum auspiciis Guilelmi Gemoll florebat. Maturitatis testimonium adeptus studiis philologicis et historicis operam navare Vratislaviae coepi, ubi excepto uno semestri aestivo, quo Ienam me contuli, per decem semestria in hoc litterarum genere versatus sum. Docuerunt me viri doctissimi

Vratislaviae: *Baumgartner*, *Cichorius*, *Cohn*, *Foerster*, *O. Hoffmann*, *Hönigswald*, *Kampers*, *Kaufmann*, *Preuss*, *Scheer*, *Skutsch †*, *Wendland*, *Ziegler*, *Ziekursch*,

Ienae: *Capeller*, *Delbrück*, *Hirzel*, *Liebenam*, *Schrader*.

Proseminarii et seminarii philologici sodalis ordinarius per terna semestria fui moderantibus *Foerstero Skutschio Wendlando:* ad exercitationes seminarii historici benigne me admiserunt *Cichorius Kampers Preuss*.

Quibus viris doctissimis gratiam habeo maximam cum omnibus tum *Ricardo Foerster*, quo auctore et adiutore hanc perfeci commentationem quique qua fuerit erga me benevolentia, semper grato animo meminero.

Examine superato et dissertatione typis mandata ubi bellum illud immane patriae nostrae illatum est, protinus nomen dedi et delectu habito primum castrensibus stipendiis imbutus, tum mense Octobri legioni vexillariorum Posnaniensi XXXVII contra Russos missae attributus sum.

Typis Maretzke et Maertin, Trebniciae Sil.